


EPISTULA LEONINA

CCLXXII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM SECUNDAM (272)

ARGUMENTA


PRAEFATIUNCULA: Tres quattuorve simiae quid valeant...	3-10
IMAGO IOHANNIS XXIII.	11
CARMINA HORATII BOLOGNA.	12-13
CARMINA MAURI PISINI.	14
PETITIO PACIS (<i>Schwarzer/Wagenknecht</i>)	15-17
SUCHARIT BHAKDI HEROS GERMANIAE (<i>Hübner/LL</i>)	18-20
ADDITAMENTA BHAKDIANA.	21-25
VERBA EDUCATORIS FACTA (<i>Urbanus Ferrarius Brasilianus</i>)	26-27
PACEM IN TERRIS Litterae Encyclicae Papae Iohannis XXIII. (d.11. m.Apr. a.1963).....	28-53
LITTERAE ENCYCLICAE PACEM IN TERRIS QUANTUM VALEANT.	28-30
LITTERAE ENCYCLICAE PACEM IN TERRIS: Textus completus.	31-53
SYMBOLAE GLOSSARI ORBIS PICTI HEXAGLOSSI.	54-88
ARS ABSTRACTA.	54-55
ARGENTINA.	56-58
APER SIVE SUS FERUS.	59-65
ARIERA QUALIS FRUCTUS SIT.	66
ARIES.	67-68
ARINGUS.	69-71
ARBOR MANGIFERA.	72-79
ARSENICUM.	80-86
ARMARIUM FRIGIDARIUM.	87-88
CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.	89-110
ECHUS VOCES EPISTULAE.	111-134
Ansgarius (111-112) – Iohannes Petrus (112-113) - Joannes Carolus (113-114) – Maurus Pisini (114) - Radulfus Lavalle (115-116) – Gugielmo (116-119) – Marcus Cristini (119-121) – Carolus Lyvens (121) - Urbanus Ferrarius (122) - Naevius (122-134)	
ECCE TRES VENERES.	132
LIBRI LEONIS LATINI.	133-136

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

*quomodo te habes? Rectène vales? Ex quinque ferē septimanis
tibi nullam Epistulam misi Leoninam. Nunc autem accepisti
novam et sat copiosam. Carpe diem, et vindica te tibi!
Tempora difficilia qualibus vivimus faciunt nos philosophos.*



*Volentem ducunt fata, nolentem trahunt! Nuper de elephantis
praefatus sum; hodie de simiis: iterum affero allegoriam sive
paroemion sive potius parabolam, et asiaticam et europaeam.
Tolle lege iudica: postea mihi scribe quidquid tibi in buccam
venerit! .*

*Tres simiae (iaponicē 三猿, sanzaru/san'en vel 三匹の猿, sanbiki no saru) originem repetunt a proverbio iaponico, quod spectat
ad rationem mala tractandi.*

*Proverbiū quod est „nihil videre, nihil audire, nihil
dicere“ in Iaponiā exprimitur verbis q.s. mizaru, kikazaru,*

iwazaru (見ざる、聞かざる、言わざる). *Quae dicuntur esse paraphrasis verborum, quae in libro Analectorum duodecimo dicit Confucius cuidam discipulo, cui nomen est Yan Yuan (sive Yan Hui), de moralitate (sinicē 仁, rén-):*

「非禮勿視，非禮勿聽，非禮勿言，非禮勿動」

「fēi lǐ wù shì, fēi lǐ wù tīng, fēi lǐ wù yán, fēi lǐ wù dòng」

„Quod non respondet Lègi Pulchritudinis [i.e. moribus decentibus] hoc noli *spectare*; quod non respondet Lègi Pulchritudinis, hoc noli *audire*; quod non respondet Lègi Pulchritudinis, hoc noli *dicere*; quod non respondet Lègi Pulchritudinis, hoc noli *facere*.“

– CONFUCIUS: Lun Yu. Dialogi. Liber 12

孔夫子, Kǒng Fūzǐ



In classico sermone Iaponico forma grammatica, q.e. ざる (zaru) (negatio actionis) similiter pronuntiatur ac nomen simiae (猿, saru). Itaque simiae cum praecepto morali coniunguntur fortuito lusu verborum phonetico (paronomasiâ). Verisimile est eâdem cohaerentiâ exortam esse mythum trium simiarum Mizaru (見ざる) et Kikazaru (聞かざる) et Iwazaru (言わざる), qui narrantur diebus calendarii "simiae metallicaes" (庚申 kōshin) deis referre de hominibus.




Interdum quarta memoratur simia, quae appellatur Shizaru (しざる; a 四猿 shisaru, „quattuor simiae“). Qui ambabus manibus obtegit abdomen suum, quod significat: „ne quid mali facias!“, „Noli lascivire!“, „A venere abstine!“.



Hodie in Iaponiâ hae simiae appellantur Minai, Kikanai, Iwanai, Shinai (-nai est forma negationis moderna) et habentur pro felicionibus sive amuletis.



Illustris imago Trium Simiarum saeculo septimo decimo confecta invenitur prope oppidum Nikkō in insulâ Iaponiae principali Honshū, quod situm est circiter 140 chiliometris versus septentrionem ab urbe Tokio capite Iaponiae. Quae imago (v. supra) est opus sculptile aedificio potius inconspicuo (quod fuit stabulum equorum sacrorum) affixum, in locis in armario memoriali Tōshōgū.




Cum Tres Simiae in Iaponiâ significant praeceptum mala negligendi, in mundo occidentali e contrario pro symbolo habentur vituperationis istorum hominum, qui ignaviae aut lucricupidinis causâ simulant se aliquod malum ignorare. Apud nos hae simiae monent homines, ne delicta, quae vident fieri, taciturnitate praetermittant, ut victimae serventur, delictores puniantur ideoque societas fiat melior.

Wolfgangus Mieder monet symbolae cuiusdam a. 1957 in periodico "FABULA" a Lutz Röhrich publicatae. Ibidem Archer Taylor Americanus quidam paroemiologus demonstrat parabolam Trium Simiarum occidentalem cohaerere cum Latino proverbio mediaevali, quod frequentabatur in Angliâ saeculo quarto decimo ineunte et invenitur in Gestis Romanorum: "AUDI, VIDE, TACE, SI VIS VIVERE IN PACE!" Röhrich opinatur viam proverbii simiarum tradendi fuisse intricatissimam, et europaeam versionem paulatim iaponicâ esse abditam. Secundum Miederum Tres Simiae in Germaniâ demum post bellum mundanum alterum diffundebantur et primo directè ex Iaponiâ introductae sunt - sine lingua Anglicâ intermissâ. Inde explicatur, quod in theodiscâ versione proverbii, quae est „Nichts sehen, nichts hören, nichts sagen“ originaliter nihil dicitur de "malo", quod in Anglo est insigne. —

Keith Haring, artifex Americanus octogenariis annis exeuntibus et nonagenariis ineuntibus imagine Trium Simiarum usus homines adhortatus est, ut morbum disimmunitidis (AIDS) impugnantes se gererent audacius. Gryllographi autem Olga Hopfauf et Stephan Baumgarten mandatu Instituti Iuris Ideologiarum (ifw = Institut für Weltanschauungsrecht) Tres Simias transtulerunt ad personas humanas, ut vituperarent negligentiam et socordiam et simplicitatem quibus gubernatio Merkaliana cooperata est cum Consilio Muslimorum Centrali (cuius praeses est Ayman Mayzek). In gryllo artifices in memoriam

revocant septem quaestiones, quibus explorari possit, utrum quis constitutionem democraticam comprobet necne. Personas simiarum gerunt Angela Merkel (*cancellaria foederalis*), Christina Lambrecht (*ministra iustitiae*), Aiman Mazyek (*Praeses Consilii Muslimorum Centralis*). 7 quaestiones, quibus probetur fidelitas constitutionis, sunt hae quae sequuntur:



1. Putasne rem publicam iuris et legis fundamentalis ratione saeculari et ideologicâ neutralem et sententias iudiciorum publicorum praestare normis iuris religiosis, quae insunt Alcorano et Sunnae et Šariae?
2. Putasne oportere, ut non-muslimi et muslimi semper et ubicumque sint inter se pares et aequi iuris?
3. Putasne oportere, ut mulieres muslimicae secundum leges germanicas valentes liberê eligant eum aut eam, cui nubant?
4. Putasne oportere, ut mulieres muslimicae, qualia sunt individua, secundum leges germanicas valentes liberê se sic vestiant ut sibi placeat?
5. Putasne ad homines, qui se ab islamo avertunt, semper et ubique valere ius vitae, integratatis corporalis, indolis propriae liberê excolendae, ceteraque iura fundamentalia omnia?
6. Putasne ad homines homosexuales valere ius vitae, integratatis corporalis, indolis propriae liberê excolendae, ceteraque iura fundamentalia omnia?
7. Comprobasne, quod secundum leges germanicas valentes licet publicare delineamenta atque gryllographias Mahumeti?



Jacques Tilly artifex figuris simiarum currui saturnalico impositis vituperavit negligentiam sceleratam politicorum et grapheocratarum et assecuatorum, quae apparauit post horrendam inundationem in Valle fluminis Ahr a. 2021 factam. Cum baceola nostra ministra rerum

externarum stultè blaterans per terras longinquas iter faciens dilapidet propriam gentem oblitera miliones euronum gentibus exoticis gestu clementiae arroganter donans, plerique cives Ahrienses miserrimè inundati desperati exspectant quaerentes, quandonam accepturi sint remunerationem ut damna resarciant. -

Haec hactenus de pithecoparoemio sive parabolâ trium quattuor ne simiarum. Nunc, carissima Lectrix, carissime Lector, helluare symbolis huius Epistulae Leoninae, quae sunt:

Carmina Horatii Bologna et Mauri Pisini — Petatio Pacis Sahrae Wagenknecht et Aliciae Schwarzer. — Sucharit Bhakdi heros Germaniae. --Encyclica Iohannis XXIII illustrissima: PACEM IN TERRIS — Maximam vim attribuo SYMBOLIS GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI, quae variatione sunt insignissimae — nam variatio delectat! Id enim studio quantum possum, ut tales symbolas scribam et doctas et delectabiles!

Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorne, chronogrammata Tobiae Rössler artificiosissima!

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echois voces mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ... Si eos textus quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris — »sublimi feriam sidera vertice«. - Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticè valeas et pergas mihi favere.

Medullitus te salutat...


Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae
Die Lunae, 03. m.Apr. a.MMXXII

PACEM IN TERRIS



LITTERAE ENCYCLICAE
PACEM IN TERRIS
SUMMI PONTIFICIS
IOANNIS PP. XXIII
AD PATRIARCHAS, PRIMATES,
ARCHEPISCOPOS, EPISCOPOS
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS,
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES,
CLERO ET CHRISTIFIDELIBUS
TOTIUS ORBIS ITEMQUE UNIVERSIS
BONAE VOLUNTATIS HOMINIBUS:
DE PACE OMNIUM GENTIUM
IN VERITATE, IUSTITIA,
CARITATE, LIBERTATE CONSTITUENDA

CARMINA HORATII BOLOGNA

d.07. m.Mart. a.2023 h.07:56

Commentariorum Latinorum curatoribus s. q. p. d. Horatius

Commentariis uisis ac perfectis, uobis omnibus, qui sedulam scriptis Latinis edendis operam datis, imo ex corde gratulor. Cum autem compertum habeam quam utiles Commentarii Sermonem Latinum colentibus sint, uobis plurimas ago gratias, quia haud paruum es opus, cui cottidie incumbitis. Ad uos quaedam carmina, quae insania captus aliquot iam annos scripsi, libens ea fisus spe mitto, fore ut per Commentarios uestos in uulgu edantur. Quibus breuiter cursimque prolati, uos saluere iubeo Horatius

d.07. m.Mart. a.2023 h.10.31

LEO LATINUS HORATIO ANTONIO POETAE LAUREATO SAL.PL.

Summo honori nobis est, care Horati Antoni, accipere carmina admirabilia quae insania pepigisse minime mihi videris, sed potius *divino afflante spiritu*. Haec cimelia libentissime divulgabimus proxima in Epistula Leonina. Tu autem, Thaliae deditissime, basilice et pancratice valeto! Medullitus te salutat **LEO LATINUS**

Ad Henricum et Manlium

Nobilis ingenium veterum sapientia dicit,	5
felix quod firmat difficilisque labor.	
Doctrinam patresque doces, Henrice magister;	
viribus indomitis pangere scripta soles.	
Postera te memorat doctum studiosa iuventa,	
multo quam stabilem, docte, labore, cupis.	
Noctibus invigilata manet, Henrice, lucerna,	
sedulus exarans pectore scripta gravi.	
Quis, dic, iam coepitis longum comitetur in aevum,	
docte, labore gravis? Manlius unus adest.	10
Vos Deus omnipotens foveat repleatque benignus	
innumeris donis, quae pia corda iuvant.	
Gloria viventes decorat vos incluta, raris	
post cineres merito quam tribuere viris.	

Tristis hominum vita

Nostra feris teritur bellis crudelibus aetas:	
malignus orbis edit impigrum genus.	
Aspera gens teneris perimit manibusque verendos	
avos suosque liberos cruentibus.	
Divitiae iuvenes cogunt ad crimina multos	
idoneum quibus parare commodum	5
continuo possint; miseri quoque templu vetusta	
mali reclusa polluunt, micantibus	
muneribus spoliant sacris, medicamina grata	
parant sibique comparant malum potens.	10

Itala gens coluit quondam dulcissima dona
 stupenda quae Deus dedit parentibus.
 Despicit haec iuvenis fervens et tempore nostro
 Deum virumque laedit et piaculis
 crimina committit, culpae succumbit apertae,
 quod ipse mente comprimit libidinem
 damnosam nullam, nullo comitante parente:
 libens malos vocat, quibus dedit fidem.
 Silva virens iuvenes fortes campique sereni
 suo tenere languido silentio
 conantur frustra, quia vectigalia terrent
 iniqua qui colunt paterna iugera.
 Nullus adest pecoris custos, qui ducat in arva
 velut minister amplius boves feros.

Sola manet tranquilla quies; de montibus altis
 per ima saxa rivus obliquus fluit,
 desilit inde strepens lymphasque ministrat abunde
 feris tumentibus, canente noctua.
 Egregias malunt iuvenes urbesque superbas,
 ubi miserrimam fragore dissono
 solliciti degunt vitam caelumque coruscum,
 quod officina pestilens facit, gravat
 cor miserum; nati tolerant male triste cubile:
 puer cupid per ampla prata currere,
 argutum silvae murmur captare sereni,
 die nitente, qua lacerta noxia
 purpureis solis gaudet splendoribus almi.
 Misella corda cur facillimas opes
 urbibus in magnis inter tristissima damna,
 malum periculumque grande quaeritis?

Christi caritas

Congregat unus amor Christi nos, optime frater:
 vanas delicias cur aliunde petis?
 Nunc nobis spes una manet, dulcissime Manli:
 aerumnis preminur, ardua corda petunt.

CARMINA MAURI PISINI

Herba tenax

Nil dolet absentem pluviam vitriaria quae imis
nascitur e rimis murorum et caespite denso
ipsos infestat.

Declaratio

Mors tantum veniet cum res cor sponte relinquunt
nec poterunt praestare animo nova fata, labores
quos, tunc, suscipias multo cum robore et audax
nil tibi narrabis, sed, *iam*, narraberis annis
praeteritis ...

Intus domi

Scrutor fenestras
clausas, apertas: spero
intus captare voces
quas quidam tollat
palam vel furtim,
ut vita ab his emergat
et verba corda narrent
incolentium.

Sub dolentis interrogationis laqueis

Quid reputabo meum, si quando audebo tenere
difficilem vitae sensum metamque, perosus
quod sum quodque fui?

Praeter omnia

En, sata paulatim, perfecta aestate, quiescunt,
at scintillantes uvae sub sole resistunt
rumpis in rutilis ...

PEPIGIT

Maurus Pisini

PETITIO PACIS



Sahra Wagenknecht (*1969)

Alicia Schwarzer (*1942)

Alicia Schwarzer et **Sahra Wagenknecht** hanc petitionem incohaverunt. Hodie est dies belli Ucrainiensis 352. (tricesimus quinquagesimus secundus) (d.10. m.Febr. a.2023). Usque nunc plus 200.000 (ducenta milia) militum et 50.000 (quinquaginta milia) hominum civilium sunt interfecta. Mulieres sunt constupratae, infantibus terror est injectus, totus populus traumatizatus. Si pugnae sic fieri pergent, mox Ucrainia erit terra populo orbata et vastata. Multi etiam homines totâ in Europâ timent, ne bellum expandatur. Sollicitantur de fortunâ suâ suorumque liberorum.

Populus a Russiâ saevê oppressa eget solidaritate nostrâ. At quid nunc est solidarium? Quo usque tandem in campo bellico Ucrainensi hominibus erit pugnandum et moriendum? Et quonam fine nunc, anno postquam incohatum est, istud bellum geritur? Germana ministra rerum externarum nuperrimê dixit „*nos*“ gerere „*bellum contra Russiam*“. Serione?

Praeses Selenskius non celat, quo fine bellum gerat. *Harmatibus* promissis nunc postulat etiam *pyrauloplana pugnatoria* et *ruchetas longi spatii* et *naves bellicas* – ut Russiam prorsus devincat? Cancellarius Germaniae adhuc affirmat se neque velle mittere pyrauloplana pugnatoria neque „*copias terrestres*“. At quot **lineas rubras** his mensibus gubernatio iam transgressa est?

Timendum est, ne Putinus, si tardissimē, impetu in *Chersonesum Tauricam* facto repulsabit quam vehementissimē. Nonne nos deinde inevitabiliter illapsuri sumus in bellum mundanum et atomicum? Si tale bellum fiet, certē non erit primum bellum magnum, quod sic incohatum erit. Sed fortasse erit definitivē ultimum.

Ucrainia – ab occidentalibus adiuta – singulis proeliis poterit vincere. At non poterit toto bello vincere contra totius orbis terrarum atomicam potestatem maximam.

Hoc etiam dicit Civitatum Unitarum miles summus, *Generalis Milley*. Neutramque partem nunc posse victoriam parere, bellum non posse finiri nisi disceptando. Si ita est, quidni nunc disceptatur? **Statim agant de pace!**

Disceptatio non est deditio. Disceptare est facere compromissa, in utrāque parte. Eo fine, ut impediatur, ne alia centum milia hominum moriantur neve etiam peiora fiant. Hoc sentimus etiam nos, hoc sentit etiam dimidia pars populi. Tempus est nos audiendi!

Nos Germaniae civissae civesque non possumus directē vim habere ad Americam aut Russiam aut ad vicinos nostros europaeos. At nos possumus et debemus cancellarium monere officii sui iurisque sui iurandi quo iuravit se *detrimentum avertere a populo Germano*.

Deposcimus, ut cancellarius foederalis curet ne augeantur armorum apportiones. Nunc! Oportet ut idem ducat fortem societatem et Germanorum et Europaeorum, quā auctrice industiae fiant et de pace agatur. Nunc statim hoc faciat! Nam omni die perditō peribunt mille ferē homines – et maius fiet periculum tertii belli mundani.

Alicia Schwarzer & Sahra Wagenknecht


69 HOMINES QUI PRIORES SUBSCIPSERUNT

Dr. Franz Alt Journalist und **Bigi Alt** • **Christian Baron** Schriftsteller • **Franziska Becker** Cartoonistin • **Dr. Thilo Bode** Foodwatch-Gründer • **Prof. Dr. Peter Brandt** Historiker • **Rainer Braun** Internationales Friedensbüro (IPB) • **Andrea Breth** Regisseurin • **Dr. Ulrich Brinkmann** Soziologe • **Prof. Dr. Christoph Butterwegge** Armutsforscher • **Dr. Angelika Claußen** IPPNW Vize-Präsidentin Europa • **Daniela Dahn** Publizistin • **Rudolf Dressler** Ex-Staatssekretär (SPD) • **Anna Dünnebier** Autorin • **Eugen Drewermann** Theologe • **Petra Erler** Geschäftsführerin (SPD) • **Valie Export** Künstlerin • **Bettina Flitner** Fotografin und Autorin • **Justus Frantz** Dirigent und Pianist • **Holger Friedrich** Verleger Berliner Zeitung • **Katharina Fritsch** Künstlerin • **Prof. Dr. Hajo Funke** Politikwissenschaftler • **Dr. Peter Gauweiler** Rechtsanwalt (CSU) • **Jürgen Grässlin** Dt. Friedensgesellschaft • **Wolfgang Grupp** Unternehmer • **Prof. Dr. Ulrike Guérot** Politikwissenschaftlerin • **Gottfried Helnwein** Künstler • **Hannelore Hippe** Schriftstellerin • **Henry Hübchen** Schauspieler • **Wolfgang Hummel** Jurist • **Otto Jäckel** Vorstand IALANA • **Dr. Dirk Jörke** Politikwissenschaftler • **Dr. Margot Käßmann** Theologin • **Corinna Kirchhoff** Schauspielerin • **Uwe Kockisch** Schauspieler • **Prof. Dr. Matthias Kreck** Mathematiker • **Oskar Lafontaine** Ex-Ministerpräsident • **Markus Lüpertz** Künstler • **Detlef Malchow** Kaufmann • **Gisela Marx** Journalistin • **Prof. Dr. Rainer Mausfeld** Psychologe • **Roland May** Regisseur • **Maria Mesrian** Theologin • **Reinhard Mey** Musiker und **Hella Mey** • **Prof. Dr. Klaus Moegling** Politikwissenschaftler • **Michael Müller** Vorsitzender NaturFreunde • **Franz Nadler** Connection e. V. • **Dr. Christof Osthheimer** ver.di-Vorsitzender Neumünster • **Dr. Tanja Paulitz** Soziologin • **Romani Rose** Vors. Zentralrat Deutscher Sinti und Roma • **Eugen Ruge** Schriftsteller • **Helke Sander** Filmemacherin • **Michael von der Schulenburg** UN-Diplomat a.D. • **Hanna Schygulla** Schauspielerin • **Martin Sonneborn** Journalist (Die Partei) • **Jutta Speidel** Schauspielerin • **Dr. Hans-C. von Sponeck** Beigeordneter UN-Generalsekretär a.D. • **Prof. Dr. Wolfgang Streeck** Soziologe und Politikwissenschaftler • **Katharina Thalbach** Schauspielerin • **Dr. Jürgen Todenhöfer** Politiker • **Prof. Gerhard Trabert** Sozialmediziner • **Bernhard Trautvetter** Friedensratschlag • **Dr. Erich Vad** Brigadegeneral a.D. • **Günter Verheugen** Ex-Vizepräsident EU-Kommission • **Dr. Antje Vollmer** Theologin (Die Grünen) • **Peter Weibel** Kunst- und Medientheoretiker • **Natalie Weidenfeld** Schriftstellerin • **Hans-Eckardt Wenzel** Liedermacher • **Dr. Theodor Ziegler** Religionspädagoge

Alicia Schwarzer et Sahra Wagenknecht et Generalis emeritus Ericus Vad d.25. m.Febr., h.14 Uhr prope Portam Brandenburgianam unâ cum Generali emerito Erico Vad unâ cum magnâ multitudine hominum manifestaverunt se postulare, ut quam maturrimê gubernatio Germaniae studeret bellum Ucrainense finitum iri disceptando.

SUCHARIT BHAKDI

HEROS GERMANIAE



»NOLITE CREDERE EA QUAE ILLI VOBIS NARRANT !«

Scrispit Wolfgang Hübner, in Latinum convertit Leo Latinus

<https://www.pi-news.net/2023/03/ein-deutscher-held-namens-sucharit-bhakdi/>

His diebus in retificiis socialibus spectari poterant scopocinemata *Doctoris Danielis Ganser* Helvetii belli Ucrainiensis expicatoris. At vir horum cinematum praecipuus et celebratissimus non fuit Daniel Ganser, de quo causâ politicâ vehementer litigatur, sed spectatorum animi maximē attracti sunt ab auditore acroasis Ganserianae aetate proiecto, staturā parvā atque nitidā, cuius praesentiā in oeco Chiloniensi ab hominibus completo ingens iubilatio est excitata: Hic visitator fuit medicus et scientista necnon remediorum coronariorum criticus constantissimus **Professor Sucharit Bhakdi**. Qui vir 76 annos natus grato animo et oculis umentibus ovationes accepit filius parentium Thailandiorum multis honoribus ornatus.



Vaccinatio covidiana: Bhakdi EMA praemonet orituros esse thrombos sanguinis. (EMA = European Medicines Agency)

Evidenter patuit hunc hominem tot calumnias et invectiones et impetus iuridicos perpessum gaudenter perfrui his gestibus amoris et animi gratissimi. Hic immunologus in campus academicis multarum nationum perillustris iubilatione Chiloniensi fuit dignissimus. Nam eo quod hysteriam pseudopandemiae a politicis et diurnariis excitatam et exaggeratam impugnavit, idem professor a.2012 emeritus sibi fecit adversarios potentissimos, qui minimè cessarent eidem obicere antisemitismum. Calumniatores neque respexerunt Bhakdii investigatoris trium decenniorum merita scientifica neque eius monita hysteriae pseudopandemicae et pseudovaccinationis evitandae, quarum effectus nunc patefiunt vehementi cum tragicâ.

Non possumus, quin quam plurimè laudemus Bhakdium, quod – contra ac plerique ceteri homines rei periti – non particeps fuit fraudis coronariae praedicandae neque timidè ignavèque tacuit, sed ausus est resistere rapido furori terroris panici navissimè excitati et exaucti.



Discrimen morbi coronarii: Epistula aperta, quam Cancellariae Foederali scripsit Prof. Sucharit Bhakdi. (*Responsum accepit nullum umquam!*)

Nunc paulatim et gradatim apparet Bhakdium in hac re nequaquam erravisse. Tamen critici eiusdem usque nunc nullo modo studuerunt eiusdem honorem academicum atque scientificum restituere. Spectatores autem Chilonienses demonstraverunt se huius investigatoris suasoris monitoris adiutoris indefessi memores esse mente gratissimâ. Hic doctus vir intrepidus atque incorruptus ordine Rhenanio-Palatinatûs meritorio multisque praemiis medicinalibus ornatus istis in tenebris cultûs civilis atque scientiarum tam splendidê lucet quam ille Pharos; **SUCHARIT BHAKDI** civis *Thailandiae* etiamsi erit, semper manebit **Germaniae HEROS.**

Scripsit

Wolfgang Hübner

in Latinum convertit

Leo Latinus

<https://www.pi-news.net/2023/03/ein-deutscher-held-namens-sucharit-bhakdi/>


(d.13. m.Mart. a.2023)




ADDITAMENTA BHAKDIANA




Bhakdi: »Ex septimanis in Germaniâ non iam aliquis incidit in morbum covidianum. Parvulos cogere, ut gerant mascas, hoc est iisdem violenter abûti«.



»Effectûs vaccinationis secundarii non possunt praevideri«.



**Sucharit Bhakdi: »De quâ re adhuc loquimur? Agamus!
Facta sunt evidentissima!«**



Infectiologus: »His remediis fit destructio sui ipsius et suicidium collectivum propter nihil nisi phantasma. Eadem sunt immania et absurda necnon valdē periculosa.«



SCELERA CONTRA HUMANITATEM COMMISSA



sinister: Sucharit Bhakdi – *dexter:* Gunnar Kaiser

HAEC RES INVENTA INNOTESCAT UBIQUE TERRARUM !


SUCHARIT EST HEROS GERMANIAE !

QUANDO REHABILITABITUR?



**Ich kann nur sagen:
Diese Maßnahmen sind
selbstzerstörerisch. Und
wenn die Gesellschaft
sie akzeptiert und durch-
führt, gleicht dieses
einem kollektiven
Selbstmord.**

Prof. Dr. Sucharit Bhakdi, einer der am
meisten zitierten Mediziner Deutschlands
und Experte für Mikrobiologie.



**»Nescio quid dicam nisi hoc: Ista remedia sunt auto-destructiva. Quae
societas nostra si comprobata exsequetur, committet suicidium
collectivum.«.**

Prof. Dr. Sucharit Bhakdi, unus ex Germaniae medicis, quorum verba plurimum afferuntur,
necnon microbiologiae peritissimus.

**SUCHARIT VIVAT CRESCAT FLOREAT ! QUANDO EIUS
HONOR INFAMISSIMÊ LAESUS RESTITUETUR?**

**QUANDO PUNIENTUR HUIUS VIRI OPTIMÊ MERITI
CALUMNIATORES?**

**QUANDO SUCHARIT BHAKDI FOEDERALI CRUCE
MERITORIÂ PRIMAE CLASSIS (TAENIAE AFFIXÂ)
HONORABITUR?**

SUCHARIT BHAKDI natus est d.1. m.Nov. a.1946 Vassintonii in urbe Civitatum Unitarum. Antequam a.2012 rude donatus est, Sucharit Bhakdi fuit Professor biologiae medicinalis, ab a.1982 usque ad a.1990 in Universitate Iusti Liebig Giessensis, deinde director Instituti Microbiologiae Medicinalis et Hygieniae Universitatis Iohannis Gutenberg Moguntiacensis. Ab a.2016 usque ad m.Dec. a.2020 scientista hospes particeps fuit investigationum Universitatis Christiani Albrecht Chiloniensis. Per plus tria decennia fuit scientista et investigator optimē famatus, multis praemiis et honoribus ornatus. At pseudopandemiā fallaciter incohata ubi primum Sucharit Bhakdi ausus est publicē addubitare remedia a gubernatione mandata (mascas, probas, quarantaenas, pseudovaccinationes) et praemonere effectū istorum fore periculosissimos et nocentissimos, passus est ingentes minas et honoris laesiones et diffamationes impudentissimas et infamissimas. Scandalis politicorum et industriae pharmaceuticae (e.g. Pfizeriano) patefactis interim scimus quam prudenter, quam sapienter monuerit Prof. Sucharit Bhakdi. Qui est stirpe thailandicā, nomen eius thailandicē sic scribitur et pronuntiatur:

សុខាន់ពិត វ៉ាកទី [[sut̪.t̪ea.rit̪ p̪ak̪.di.ɔ̄.](#)]. **Sucharit Bhakdi est buddhista ideoque nomine est sanscrito:**

सुचरित su-carita „*is qui bene se gerit (corpore, sermone, mente)*“, „*homo probus, virtutibus praeditus*“ (cfr <https://www.wisdomlib.org/definition/sucarita>). -

भाक्ति bhakti „*patientia, aequus animus, modestia, verecundia*“ (cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Bhakti>. <https://wiki.yoga-vidya.de/Bhakti>)

COMMENDATIO: SPECTA HOC CINEMA!
<https://www.youtube.com/watch?v=L1HT32536aE>

Danke - Sucharit Bhakdi / kein Volksverhetzer! Graffiti - Airbrush Portrait



Additamenta Bhakdiana
collegit et scripsit
LEO LATINUS

Verba educatoribus facta

scripsit Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus

Hodie, amici, cum annus scholasticus initium capit, electus sum, qui vobis verba faciam. Mihi pergratum est vobis tam frequentissimis alloqui. Vos enim, qui aut sacerdotes, aut parentes, aut magistri, aut catechistæ estis, inter alias res, quiddam etiam habetis commune: quod est illud educandi officium. Quamobrem incipere velim per ipsum vocabulum, quo vestrum significatur officium, nempe per educationis vocabulum. Ut scitis, hæc tam præclara vox componitur a ducendo cum præpositione «ex» adiecta. Intra composita verba, præpositio «ex» idem valet atque «foras». Ergo, qui educat, dicit foras. Et quidem non potest foras ducere nisi eum, qui erat intus. Sed «educare» aliam quoque habet vim, quam «educere» non habet: nempe repetitionis vim. Itaque, qui educat, dicit foras non semel, sed frequenter. Ut videtis, ipsa vox iam ostendit nobis educationis naturam: est enim illa interna, externa et continuata. Dato verbi sensu, ut potero, quoniam omnes brevitati studemus, rem raptim describam. Ut puerile ingenium perfectionem attingat ætati propriam, necnon ut interdum in adultam feliciter perveniat maturitatem, necesse est ut puer ipse non detineatur in semetipso, sed aliis personis rebusque externis aperiat se. Quod si huiusmodi apertio aut omnino impediatur aut saltem retardetur, perfectionis propositum aliqua ex parte frangetur. Animadvertisse autem: non dico internam pueri vitam non esse curandam. Omnes enim scimus quantum beneficii et recognitatio et meditatio et silentium afferant his, qui omnimodis disciplinis incumbunt. In temperanda ergo vita interna cum illa externa, virtutum semper requiretur salubris mediocritas. Sed redeamus ad sermonem propositum. Nemo profecto nascitur, ut in eodem semper statu maneat, id est, ut in semetipso prorsus claudatur. Si ortus ad incrementum ex ipsa natura ordinatur, is, qui non crescit, quodammodo nascendi actum frangit, vel, ut aliis verbis dicatur, qui nulla in re crescit, quodammodo infectum irritumque reddit propositum vitae. Nos, qui hic adsumus, cogitatione fingamus puerum, cuius parens talis sit, qui numquam se interponat in filii

actionibus. Possumusne quid inde puero sit eventurum anticipare? Certe possumus: sibimetipsi relictus et in se clausus, puer appetitui tam immoderate se tradet, ut non solum inique se gerat in ceteros pueros, verum ne adulorum auctoritatem quidem revereatur. Quid, si mundus plenus esset hominum, qui a semetipsis non potuerint exire? Quis posset rem quamlibet tractare cum hominibus ita clausis? Hinc apparet, credo, quanti sit perpetuum hoc nostrum educatoris officium. Si nobis semper opus fuit, ut quis nobis præcederet, ut quis nos adduceret, ut quis nos et doceret, cur pueris aliter esset? Hæc verba illuc intendunt, ut animi nostri recreentur et sint semper parati ad officium tam præclarum exercendum. Sed ante quam verbis meis finem imponam, aliam non possum animi apertioñem non memorare, illam, quæ est ad Deum, et per quam nos aperimus in aliam rem, quæ non sit mere humana et corporea. Etiam in hanc altiorem viam pueros educamus oportet. Gratias quam plurimas omnibus vobis.


SCRIPSIT URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

CONTROVERSIAS NON ARMIS

SED PACTIS ET CONVENTIS DIRIMENDAS ESSE

LITTERAE ENCYCLICAE »PACEM IN TERRIS« QUANTUM VALEANT

»Pacem in terris« sunt litterae encycliche Papae Iohannis XXIII. die 11. m.Apr. a.1963 publicatae.



Ansa huius operis scribendi

Iam in scripto suo apostolico, c.t. „*Marialis rosarii*“ (*Il religioso convegno*) Papa fundamentum posuerat harum Litterarum Encyclicarum. Encyclicis, q.t. *Pacem in terris*, Iohannes XXIII. respondit condicioni mundi difficillimae, quae valuit Crisi Cubanâ periculosissimâ paucis demum mensibus transactâ, duobus annis ante Muri Berlinensis exstructionem, medio Bello Frigido. Isto in discrimine rerum Pontifex Maximus verbis effert ***controversias non armis, sed pactis et conventis dirimendas esse.***¹

Pacem in terris fuerunt primae litterae encycliche, quibus Papa non sôlum se convertit ad Ecclesiam Romanam Catholicam, sed „ad omnes homines bona voluntatis“. *Pacem in terris* fuerunt ultimae encycliche a Papâ Iohanne XXIII. Conscriptae. Duobus tantum mensibus post easdem publicatas Pater Sanctus animam suam efflavit. Verbis initialibus Papa refert ad Evangelium Lucae (Lk 2,14):

„Pacem in terris, quam homines universi cupidissimê quovis tempore appetiverunt, condi confirmarique non posse constat, nisi ordine, quem Deus constituit, sanctê servato.“

¹ III 67: Magis magisque nostris temporibus hominum animos persuasio pervasit, controversias, quae forte inter populos oriantur, non armis, sed pactis et conventis dirimendas esse.

Comprobatio iurum humanorum

Eo quod encycliis *Pacem in terris* primo comprobat iura humana, Sedes Vaticana sententiam suam graviter mutat. Generalis declaratio iurum humanorum d.10. m.Dec. a Nationibus Unitis rata habita a Papâ dicitur esse „*perspicuo argumento*“. Papa animadvertisit hominem vitae habere ius, habere integritatis corporis, habere instrumentorum ad honestum vitae cultum aptorum“. Eo quod Iohannes XXIII. Generalem Declarationem Iurum humanorum anni 1948 comprobavit et confirmavit, doctrinae catholicae inclusit notionem iurum humanorum inalienabilium libertatumque fundamentalium.

Sub superscriptione q.e. „Iura“ singula iura humana breviter afferuntur et explicantur. Iisdem intersunt etiam ius humanum opinionis suae declarandae et vulganda et artem qualemcumque colendi¹. Expressis verbis conceditur libertas religionis privatim et publicê profitandi². Concessio huius libertatis fuit nova, et primus gradus ad comprobationem libertatis religionis, quae facta est in encyclicis *Dignitatis humanae* a.1965 publicatis. Sed Iohannes XXIII, concedit quae Professionis capita minus probanda nonnullis visa esse; neque id immerito³.

Virum et mulierem esse iurum aequalitate

Comprobatio iurum humanorum maximê valet quoad iurum viri et mulieris aequalitatem. Sub superscriptione *Ius vitae generis liberê eligendi* Papa Iohannes XXIII. comprobat viro et mulieri aequa iura esse:⁴ Nonnulli sentiunt Iohannem XXIII. his verbis ianuam aperuisse, ut postea etiam mulieribus permitteretur sacerdotium capessere.

Notae aetatis

Encycliae c.t. *Pacem in terris*, eo est maximi momenti, quod concedit „notas aetatis“ divinas, quae praeter Sacram Scripturam fiant testimonia fidei ecclesiasticae. Iohannes XXIII. videt 3 notas aetatis (Nr. 21–25):

1. „**opificum classes videmus in re oeconomicâ et sociali gradatim profecisse**“ (21).
2. „**Quod deinde mulieres in re publicâ intersunt, nemo profecto est, cui non pateat; quod fortasse celerius apud populos fit christianam fidem profitentes, et**

1 „7. Homo praeterea iure naturae postulat, ut in debito habeatur honore; ut bonâ existimatione afficiatur; ut liberê possit verum inquirere, et, morali ordine communique omnium utilitate servatis, opinionem suam declarare, vulgare, et artem qualemcumque colere; ut denique ex veritate de publicis eventibus certior fiat.“.

2 „8. In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publicê profiteri“.

3 „75. Nos sane non praeterit, quaedam Professionis huius capita minus probanda nonnullis visa esse; neque id immerito. Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quandam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt.“

4 „9. Insuper hominibus iure integrum est vitae genus eligere, quod praeoptent: adeoque aut sibi condere familiam, in quâ condendâ vir et mulier paribus fruantur iuribus et officiis, aut sacerdotium vel religiosae vitae disciplinam capessere.“

tardius quidem, sed latê apud gentes aliarum memoriarum heredes alioque vitae cultu imbutas.“(22)

3. „...cum omnes populi sese in libertatem vel vindicaverint, vel sint vindicaturi, ob eam causam futurum est, ut brevi neque iam populi exstent, qui in alteros dominantur, neque qui alienae pareant potestati“ (23).

Eo quod dicit mulieres in re publicâ interesse, Papa dignam habet motionem mulieres emancipandi; inde mulieres catholicae concluserunt studia sua publica ecclesiastica respici. Sed quod postea Ecclesia Romana Catholica perseveravit in ordinatione mulierum excludendâ, hodie a nonnullis vituperatur neglectio huius notae divinae a Iohanne XXIII. indicatae.

LITTERAE ENCYCLICAE PACEM IN TERRIS

**LITTERAE ENCYCLICAE
PACEM IN TERRIS
 SUMMI PONTIFICIS
IOANNIS PP. XXIII
 AD PATRIARCHAS, PRIMATES,
 ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS
 ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS,
 PACEM ET COMMUNIONEM
 CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES,
 CLERO ET CHRISTIFIDELIBUS
 TOTIUS ORBIS ITEMQUE UNIVERSIS
 BONAE VOLUNTATIS HOMINIBUS:
 DE PACE OMNIUM GENTIUM
 IN VERITATE, IUSTITIA,
 CARITATE, LIBERTATE CONSTITUENDA ([1](#))**

INTRODUCTIO

Qualis ordo insit universo

1. Pacem in terris, quam homines universi cupidissimê quovis tempore appetiverunt, condi confirmarique non posse constat, nisi ordine, quem Deus constituit, sanctê servato.

Nam ex doctrinarum processibus ac technicorum inventis planê discimus, simul in animantibus et in naturae viribus dominari ordinem mirificum, simul in homine eiusmodi inesse dignitatem, quâ possit sive ordinem ipsum deprehendere sive instrumenta apta sibi parare, ad easdem occupandas vires et ad sua commoda transferendas.

2. Sed scientiarum progressiones ac technicorum inventa primum omnium infinitam Dei magnitudinem ostendunt, qui et rerum universitatem et hominem ipsum creavit. Rerum, dicimus, universitatem de nihilo fecit, in eamque sapientiae et bonitatis suae copiam profudit; quâ de re alicubi sacer Psaltes hisce verbis Deum laudat: «Domine, Domine, quam admirabile est nomen tuum in universâ terrâ» (*Ps 8,1*), hisce alicubi vocibus: «Quam multa sunt opera tua, Domine!

Omnia cum sapientiâ fecisti» (*Ps* 103,24). Hominem item Deus «ad imaginem et similitudinem suam» (cf. *Gn* 1,26) creavit, intellegentiâ et libertate praeditum, dominumque constituit rerum universarum; uti Psaltes idem hac sententiâ profitetur: «Et fecisti eum paulo minorem angelis, gloriâ et honore coronasti eum; dedisti ei potestatem super opera manuum tuarum, omnia subiecisti pedibus eius» (*Ps* 8,5-6).

3. Nunc autem cum optimo universitatis ordine mirum quantum pugnat tum singulorum hominum, tum populorum perturbatio; quasi si rationes, quibus inter se continentur, non nisi vi regi queant. Attamen in intimo homine mundi Creator ordinem impressit, quem eius conscientia et patefacit et magnopere servari iubet: «Qui ostendunt opus lègis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum» (*Rm* 2,15). Ceterum quemadmodum potest fieri secus? Etenim quaecumque fecit Deus, haec infinitam eius referunt sapientiam, referuntque eo clarius quo absolutiore eadem gaudent (cf. *Ps* 18,8-11).

Qualis ordo insit naturae hominis

4. Verum opinionis error praebet frequenter errorem quod multi censeant rationes, quae singulis hominibus cum suâ cuiusque re publicâ intercedant, iisdem legibus, quibus vires et elementa mentis expertia universitatis, posse gubernari; cum huiusmodi lèges, alîus quidem generis, illinc dumtaxat petendae sint, ubi Parens rerum omnium inscripsit, hoc est in hominis naturâ. His enim legibus praeclarê erudiuntur homines, quibus primum modis mutua sua commercia in humano convictu moderentur; quibus deinde modis rationes componendae sint, quae civibus cum publicis suaे cuiusque civitatis magistratibus intercedunt; quibus tum modis mutuo contingantur respublicae; quibus postremo modis inter se contineantur hinc singuli homines et civitates, illinc universarum gentium societas; quae, societas, ut tandem condatur, communis omnium utilitas vehementer requirit.

I. QUALIS ORDO VALEAT INTER HOMINES

Omnem hominem naturâ suâ esse personam iuribus et officiis praeditam

5. Atque primum omnium de ordine disserendum, quem inter homines vigere necesse est. Porro in quovis humano convictu, quem bene compositum et commodum esse velimus, illud principium pro fundamento ponendum est, omnem hominem personae induere proprietatem; hoc est, naturam esse, intellegentiâ et voluntatis libertate praeditam; atque adeo, ipsum per se iura et officia habere, a suâ ipsius naturâ directo et unâ simul profluentâ. Quae propterea, ut generalia et inviolabilia sunt, ita mancipari nullo modo possunt (2).

Quodsi humanae personae dignitatem ex veritatibus divinitus traditis intuemur, tunc fieri non potest quin eam longê maiorem aestimemus; quippe homines sanguine Christi Iesu redempti sunt, supernâ gratiâ filii et amici Dei sunt facti, aeternae gloriae instituti heredes sunt.

Iura

Ius vitae victûisque

6. Atque initio de hominis iuribus sermonem instituturi, animadvertisimus hominem vitae habere ius, habere integritatis corporis, habere instrumentorum ad honestum vitae cultum aptorum: cuiusmodi praesertim sunt victus, vestimenta, domus, requies, medicorum curationes, necessaria denique ministeria a civitate impendenda in singulos. Ex quo sequitur, eo etiam iure hominem gaudere, ut sibi consulatur, si adversâ corripiatur valetudine, si opere et labore debilitetur, si relinquatur in viduitate, si senio conficiatur, si vacare cogatur ab opere, si postremo sine ullâ suâ noxâ rebus deturbetur ad victimum utcumque necessariis (3).

Iura moralia et culturalia

7. Homo praeterea iure naturae postulat, ut in debito habeatur honore; ut bonâ existimatione afficiatur; ut liberê possit verum inquirere, et, morali ordine communique omnium utilitate servatis, opinionem suam declarare, vulgare, et artem qualemcumque colere; ut denique ex veritate de publicis eventibus certior fiat.

Naturae simul iure cum homini in partem scientiarum venire liceat, ei idcirco necesse etiam est liceat sive ad praecipuas communesque disciplinas, sive ad technicorum artes, sive ad professiones institui, pro suaे cuiusque civitatis in doctrinis progressibus. Ad haec contendendum est et elaborandum, ut homines possint, si sui ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines ascendere; ita quidem ut iidem, quoad fieri possit, in humanâ societate ad munera et officia emergant, tum suo ingenio consentanea, tum peritia, quam ipsi sibi pepererint. (4)

Ius Dei venerandi

8. In hominis iuribus quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suaे normam, venerari possit, et religionem privatim publicê profiteri. Etenim, quemadmodum paeclarê docet Lactantius, «hac condicione dignimur, ut generanti nos Deo iusta et debita obsequia praebamus, hunc sôlum noverimus, hunc sequamur. Hôc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit». (5) Quâ de eâdem re Decessor Noster imm. mem. Leo XIII haec asseverat: «Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissimê tuetur, est omni vi iniuriâque maior: eademque Ecclesiae semper optata ac praecipuê cara. Huius generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere». (6)

Ius vitae generis liberê eligendi

9. Insuper hominibus iure integrum est vitae genus eligere, quod paeoptent: adeoque aut sibi condere familiam, in quâ condendâ vir et mulier paribus fruantur iuribus et officiis, aut sacerdotium vel religiosae vitae disciplinam capessere. (7)

Quod ad familiam attinet, quae in matrimonio nititur, liberê nimirum contracto, uno, indissolubili, ipsam existimari opus est tamquam humanae societatis primum et naturale semen. Ex quo oritur, ut eidem sit diligentissimê consulendum, cum in re oeconomicâ et sociali, tum in provinciâ doctrinarum et morum; quae scilicet omnia eo pertinent, ut familia firmetur et ad munus suum tenendum adiuvetur.

Iura oeconomica

In parentibus vero potissimum ius residet alendi et educandi filios. (8)

10. Si autem animum ad regionem rerum oeconomicarum referamus, liquet iure naturae datum esse homini, non sôlum ut operis faciendi sibi copia tribuatur, sed etiam ut opus liberê ipse obeat. (9) Sed cum huius generis iuribus ius certê coniungitur exigendi, ut homo in eiusmodi condicionibus opus navet, quibus neque corporis vires debilitentur, neque morum labefactetur integritas, neque iustis adulescentium auctibus noceatur. Quod vero ad mulieres spectat, concedenda iisdem est facultas peragendi operis in talibus rerum adiunctis, quae sive cum uxorum sive cum matrum necessitatibus et officiis congruant. (10)

Ab humanae personae dignitate ius quoque nascitur oeconomica factitandi negotia, convenienter cum reddendae rationis sensu. (11) Exinde et illud non est tacendum, operario mercedem deberi, ad iustitiae paecepta statutam; quae idcirco, pro administrationis facultatibus, operario eiusque familiae vitae genus permittat, cum hominis dignitate conveniens. Quâ de re Decessor Noster fel. rec. Pius XII haec habet: «Cum officio operis faciendi, in naturâ posito, ius pariter naturale congruit; cuius vi homo poscere potest, ut ex impenso opere sibi suisque filiis necessaria ad vitam proveniant: tam penitus natura iubet hominis conservationem». (12)

Ab hominis naturâ adhuc dicitur ius privatum bona possidendi, vel gignendis opibus apta; quod videlicet ius, uti alias professi sumus, «efficaciter ad humanae dignitatem personae tuendam, et ad liberam sui cuiusque muneris perfunctionem in omnibus navitatis campis adiuvat; quod postremo domestici convictûs compaginem tranquillitatemque confirmat, non sine pacis et prosperitatis in re publicâ incremento». (13)

Ad ultimum et hoc opportunê animadvertisendum est, in privati dominii iure munus inesse sociale. (14)

Ius congregandi et societatem cum aliis ineundi

11. Ex eo autem quod homines sunt naturâ sociabiles illud oritur, ut iure iidem possint et in unum locum se congregare, et societatem cum aliis inire; ut initas societas eâ induant formâ, quam existiment ad propositum assequendum magis idoneam; ut in societatibus iisdem suâ sponte suoque periculo agant, easque ad optatos exitûs pervehant. (15)

Atque, ut Nosmetipsi datis Litteris Encyclicis *Mater et Magistra* magnopere monuimus, omnino opus est, ut bene multa collegia seu corpora interiecta condantur, ad finem paria, ad quem homo singulus non potest tendere efficienter. Haec enim collegia et corpora veluti instrumenta longê pernecessaria sunt habenda ad tuendam humanae personae dignitatem et libertatem incolumi praestandae rationis sensu. (16)

Ius emigrandi et immigrandi

12. Tum etiam homini cuilibet iure integrum esse debet in civitatis sua finibus vel tenêre vel mutare locum; quin etiam, si iustae id suadeant causae, eidem liceat necesse est, alias civitates petere in iisque domicilium suum collocare. (17) Neque ex eo quod quis certae cuiusdam reipublicae est civis, is ullo modo vetatur esse membrum humanae familiae, neque civis universalis illius societatis et coniunctionis omnium hominum communis.

Iura politica

13. De reliquo illud accedit, quod cum dignitate humanae personae ius cohaeret in partem publicae rei actuosê veniendi, atque ad commune civium bonum conferendi. Nam, quemadmodum Decessor Noster fel. rec. *Pius XII* ait, «tantum abest ut homo, uti talis, sit habendus tamquam vitae socialis obiectum vel iners quoddam elementum, ut magis eiusdem sit existimandus subiectum, fundamentum, finis». (18)

Ad humanam personam quoque pertinet legitima suorum iurum tuitio: eademque ad effectum valens, aequalis, ad veras iustitiae normas conformata; uti Decessor Noster fel. rec. *Pius XII* monet hisce dictis: «Ordinem iuridicalem, quem Deus voluit, ius illud hominis proprium et perpetuum consequitur, quo cuique iuridicalis securitas asseritur, atque certa definitaque iuris provincia eidem assignatur, ab omni precariâ impugnatione tuta». (19)

Officia

Iura et officia in eâdem personâ insolubiliter inter se coniungi

14. Quae hactenus commemoravimus iura, a naturâ profecta, in eodem homine, cui competit, cum totidem coniunguntur officiis; eademque iura et officia a lêge naturae, quâ vel tribuuntur vel imperantur, et originem, et alimentum, et firmissimam vim ducunt.

Itaque, ut nonnullis utamur exemplis, hominis ius in vitam, cum illius cohaeret officio suaे vitae conservandae; ius in dignum vitae genus, cum officio decorê vivendi; ius veritatem liberê vestigandi, cum officio veritatem altius latiusque in dies quaerendi.

Iura et officia variarum personarum inter se respondere

15. Quibus probatis, consequens est etiam, ut in hominum consortione unius hominis naturali cuiusdam iuri officium aliorum hominum respondeat: officium videlicet ius illud agnoscendi et

colendi. Nam quodvis praecipuum hominis ius vim auctoritatemque suam a naturali lège repetit, quae illud tribuit, et conveniens iniungit officium. Qui igitur, dum iura sua vindicant, officia sua vel omnino obliviscuntur, vel aequo minus praestant, iidem sunt cum iis veluti comparandi, qui alterâ manu aedem exstruunt, alterâ evertunt.

Oportere, ut homines alii aliorum quaerant bonum

16. Cum homines sint naturâ congregabiles, ii oportet alii cum aliis vivant, atque alii aliorum quaerant bonum. Hanc ob causam rectê compositus hominum convictus postulat, ut iidem pariter iura pariter officia mutuo fateantur et faciant. Ex quo etiam nascitur, ut quisque magno animo sociam praebeat operam ad eiusmodi civium consuetudinem parandam, in quâ iura et officia diligentius usque et fructuosius colantur.

Cuius rei ut ponamus exemplum, non satis est homini ius in necessaria vitae tribuere, nisi pro viribus elaboremus, ut eidem quae ad victum pertinent satis suppetant.

Huc accedit quod hominum societas, non modo ordinata esse debet, sed multos etiam ipsis utilitatis fructûs afferre. Quod flagitat, ut ii quidem iura et officia mutuo agnoscant et exsequantur, at vero etiam ut coniunctim omnes in plurimis inceptis intersint, quae huius aetatis civilis cultus vel sinat, vel suadeat, vel poscat.

Oportere, ut homines agant proprio consilio et libertate

17. Illud praeterea humanae dignitas personae exigit, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur. Quocirca, si de civium coniunctione agitur, est profecto cur ipse iura colat, officia servet, atque, in innumeris operibus exercendis, aliis sociam tribuat operam, suo praeferens impulsu et consulto; ita scilicet ut suo quisque instituto, iudicio, officiique conscientiâ agat, iam non commotus coercitione vel sollicitatione extrinsecus plerumque adductis; quandoquidem, si qua hominum societas unâ ratione virium est instituta, ea nihil humani in se habere dicenda est, utpote in quâ homines a libertate cohibeantur, qui contra ad vitae progressûs, ad perfectionemque assequendam aptê ipsi incitandi sunt.

Oportere, ut homines convivant in veritate, iustitiâ, amore, libertate

18. Quam ob rem civium coniunctio bene composita, fructuosa, humanaeque dignitati conveniens est exsistimanda, si veritate continetur; ita monente Paulo Apostolo: «deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra» (*Eph 4,25*). Quod sanê eveniet, si rectê quae sint cum sua iura, tum sua erga alios officia quisque fatetur. Talis insuper erit hominum communitas, qualem modo adumbravimus, si cives, iustitiâ duce, et in aliorum iura colenda et in sua officia obeunda incumbunt; si iidem tali amoris studio sunt ducti, ut aliorum necessitates tamquam suas sentiant, bonorum suorum alios faciant particeps, eoque contendant, ut in terrarum orbe optima animi mentisque sensa inter omnes communicentur. Neque haec satis; nam hominum societas libertate coalescit, modis nempe ad civium dignitatem idoneis, qui cum ex naturâ rationis compotes sint, actionum idcirco suarum periculum in se recipiunt.

19. Hominum igitur societas, Venerabiles Fratres et dilecti filii, primum omnium tamquam res quaedam ad animum praeferens est habenda: per quam homines, veritatis lumine collustrante, rerum cognitiones inter se communicent; iura sua vindicare et officia exequi possint; ad bona animi appetenda incitentur; e quâlibet re decorâ, cuicuimodi ipsa est, iustum voluptatem mutuo capiant; perpetuâ voluntate inclinent ad optima ipsorum quaeque in alios transfundenda; studiosê spectent ad aliorum animi bona in animum suum convertenda. Quae quidem bona simul afficiunt, simul omnia dirigunt, quae ad doctrinas, ad rem oeconomicam, ad civium coniunctionem, ad rei publicae progressûs et disciplinam, ad legum praecepta, ad reliquas denique partes pertinent, quae exstrinsecus hominum communitatem constituunt continenterque explicant.

Deum esse fundamentum ordinis moralis

20. Ordo autem, qui in hominum consortione viget, totus incorporali est naturâ; siquidem in veritate idem nititur, secundum iustitiae praecepta ad effectum perducendus est, mutuo amore animari perficique poscit, postremo, libertate integrâ, ad aequabilitatem cotidie humaniorem est componendus.

At huius generis ordo – cuius principia cum ad omnes attinent, tum absoluta atque immutabilia sunt – a Deo vero, et eo quidem personali atque humanam naturam transcendentem, initium omnino repetit. Deus enim, cum sit veritas omnium prima, summumque bonum, tum vero fons est praecultus, unde vitam verê haurire hominum coniunctio potest, quae nimurum recte constituta sit et frugifera, ad hominumque dignitatem apta. (20) Quam ad rem illud S. Thomae Aquinatis pertinet: «Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex quâ eius bonitas mensuretur, habet ex lège aeterna, quae est ratio divina. ... Unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanae a lège aeternâ, quam a ratione humanâ». (21)

Tres notae aetatis nostrae

21. Aetas haec nostra tribus huiusmodi tamquam notis distinguitur.

Ante omnia opificum classes videmus in re oeconomicâ et sociali gradatim profecisse. Initium enim iidem capientes a suorum iurum vindicatione maximâ in ordine rerum oeconomicarum et socialium, deinde ad vindicationem gradum fecerunt rerum politicarum, tum demum ad politioris humanitatis commoda adipiscenda animum intenderunt. Quam ob rem in praesentiâ opifices, qui ubique sunt, illud vehementer exquirunt, ne umquam ducantur quasi quaedam res rationis et libertatis expers, quâ alii arbitrio suo utantur, sed tamquam homines in quibuslibet humanae societatis partibus: hoc est in regione oeconomicâ et sociali, in re publicâ, in campo denique doctrinarum et disciplinarum.

22. Quod deinde mulieres in re publicâ intersunt, nemo profecto est, cui non pateat; quod fortasse celerius apud populos fit christianam fidem profitentes, et tardius quidem, sed latâ apud gentes aliarum memoriarum heredes alioque vitae cultu imbutas. Mulieres enim, cum cotidie magis sint suaे humanae dignitatis conscientiae, tantum abest ut patientur se vel pro re quâdam inanimâ vel pro instrumento quodam haberí, ut potius sive intra domesticos parietes, sive in civitate iura et officia humanâ personâ digna postulent.

23. Animadvertisimus denique nostris hisce diebus, hominum coniunctionem in novam prorsus rei et socialis et publicae transisse conformationem. Etenim, cum omnes populi sese in libertatem vel vindicaverint, vel sint vindicaturi, ob eam causam futurum est, ut brevi neque iam populi extant, qui in alteros dominantur, neque qui alienae pareant potestati.

24. Homines enim, qui ubique sunt gentium, vel in civium ordine liberae cuiusdam civitatis iam censentur, vel in eo est ut censeantur; neque ullius stirpis communitas alienae dicioni iam esse vult obnoxia. Nam nostro hôc tempore opiniones consenserunt, tot saecula inherentes, ex quibus scilicet hinc aliae hominum classes inferiorem sibi locum accipiebant, illinc primas partes aliae postulabant, sive ob statum rerum oeconomicarum et socialium, sive ob sexum, sive ob suum cuiusque in civitate gradum.

Latissimâ e contrario ea opinio pervasit et obtinuit, omnes homines esse naturae dignitate inter se aequales. Quam ob rem, saltem in ratione disciplinâque, nullo modo probatur hominum discrimen, generis causâ; quod quidem maximi momenti est et ponderis ad humanum convictum conflandum ex principiis, quae memoravimus. Quod si in hornine aliquo conscientia nascitur suorum iurum, in eo etiam conscientia officiorum suorum necesse est nascatur: ita ut qui iura quaedam habeat, in eo pariter officium insit sua iura, tamquam suaे dignitatis significationes, reposcendi; in reliquis vero officium insit iura eadem agnoscendi et colendi.

25. Atque cum civium disciplina ad iura officiaque informatur, tunc homines continuo res ad animum mentemque pertinentes deprehendunt, planâ quid veritas sit, quid iustitia, quid caritas, quid libertas intellegunt, iidemque concii fiunt se huiusmodi societatis esse membra. Neque id satis;

nam huius generis causis commoti homines ad verum Deum melius cognoscendum feruntur, nempe supra humanam naturam positum personâque praeditum. Quam ob rem rationes, quae iis cum Deo intercedunt, quasi fundamentum suae vitae existimant: id est vitae, quam vel intus in animo suo vivunt, vel cum reliquis hominibus consociaverunt.

II.

IN CIVITATIBUS QUALES NECESSITUDINES SINT INTER CIVES ET AUCTORITATEM PUBLICAM

Auctoritatem esse necessariam et a Deo ductam

26. Hominum societas neque bene composita, neque bonorum fecunda esse potest, nisi ei adsint qui, auctoritate legitimâ decorati, instituta servent et, quantum est satis, in omnium commoda operam curamque impendant suam. Idem vero auctoritatem omnem a Deo ducunt, uti S. Paulus hisce docet verbis: «Non est enim potestas, nisi a Deo» (*Rm 13,1-6*). Quam Apostoli sententiam S. Ioannes Chrysostomus explanans haec scribit: «Quid dicis? Omnisne princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico, inquit: neque enim de singulis principibus mihi nunc sermo est, sed de re ipsâ. Nam quod principatûs sint, et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omni casu ac temere ferantur, divinae esse sapientiae dico». (22) Enimvero, quoniam Deus homines suâ naturâ sociabiles creavit, quoniamque nulla societas potest «consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, quâ regatur: quae, non secus ac societas, a naturâ propterea que a Deo ipso oriatur auctore». (23)

27. Haud tamen auctoritas a cuiuslibet imperio vacua putanda est; immo cum eâdem ex facultate imperandi ad rectam rationem proficiscatur, illud sanê cogitur, ut vim obligandi ex ordine morum ipsa repeatat, qui vicissim Deum tamquam principium et finem habet. Quâ de causâ Decessor Noster fel. rec. Pius XII haec monet: «Absolutus animantium ordo, et finis ipse hominis (hominem dicimus liberum, officiis obstrictum, iuribus inviolabilibus instructum, societatisque humanae originem et finem) civitatem quoque, quasi quandam communitatem necessariam, auctoritateque ornatam attingunt, quâ sublatâ, neque esse neque vivere ipsa posset. ... Qui rerum omnium ordo quoniam iuxta rectam rationem et maximâ iuxta christianam fidem initium non potest quin ducat a Deo, omnium nostrum Creatore, eodemque personâ praedito, idcirco magistratûs ex eo dignitatem accipiunt, quod Dei ipsius auctoritatem quodammodo participant». (24)

28. Quocirca quae imperandi facultas sive in minis metuque poenarum, sive in praemiorum pollicitationibus posita unicê vel praecipue est, nullo pacto ad commune omnium bonum quaerendum efficienter incitat; quod si forte fiat, id profecto cum hominum dignitate, qui libertatis rationisque sunt compotes et participes, haudquaquam sit consentaneum. Auctoritas enim cum maximâ vi contineatur incorporali, propterea reipublicae curatores sese ad cuiusvis civis agendi conscientiam referre debent, hoc est ad officium, quo quisque obstringitur, in communes omnium utilitates promptam impendendi operam. Sed quoniam omnes homines in naturali dignitate sunt inter se pares, tum nemo valet alium ad aliquid intimis animi sensibus efficiendum cogere: quod quidem unus Deus potest, utpote qui unus arcana pectoris consilia scrutetur ac iudicet.

29. Qui igitur personam civitatis gerunt, tunc tantum homines ex animi conscientiâ obligare possunt, si eorum auctoritas cum Dei auctoritate coniungitur eiusque est particeps. (25)

Quo principio posito, civium quoque dignitati consulitur: siquidem qui magistratibus parent, neutiquam iis uti hominibus parent, sed re ipsâ Deum, providum omnium rerum Creatorem, colunt, qui mutuas hominum rationes, iuxta ordinem a semetipso statutum, administrari iussit; neque vero, quod debitam Deo reverentiam adhibemus, ea propter animos comprimimus nostros, sed magis erigimus et nobilitamus; quoniam servire Deo regnare est. (26)

30. Quandoquidem imperii facultas ex ordine rerum incorporalium exigitur atque a Deo manat, si forte rei publicae moderatores contra eundem ordinem atque adeo contra Dei voluntatem vel lèges ferunt, vel aliquid praecipiunt, tunc neque latae lèges, neque datae facultates civium animos obstringere possunt; cum «oboedire oporteat Deo magis quam hominibus» (*Act 5,29*); immo vero tunc auctoritas ipsa planè corruit, et foeda sequitur iniuria; docente S. Thomâ Aquinate: «Ad secundum dicendum, quod lex humana in tantum habet rationem lègis, in quantum est secundum rationem rectam; et secundum hoc manifestum est quod a lège aeternâ derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem lègis, sed magis violentiae cuiusdam». ([27](#))

31. Atqui ex eo quod auctoritas a Deo nascitur, inde haudquaquam concluditur, nullam in hominibus inesse facultatem eos eligendi qui civitati præsint, et rerum publicarum formam statuendi, et describendi auctoritatis exercendae rationes et terminos. Ex quo est ut, quam doctrinam exposuimus, ea cum quolibet veri nominis populari civitatis regimine congruere possit. ([28](#))

Curam salutis communis esse causam potestatis rectorum

32. Propterea autem quod singuli homines interiectique coetûs suam quisque operam ad omnium commoda conferre tenentur, exinde praecipue id consequitur, ut ipsi et suas utilitates ad aliorum necessitates accommodent, et sua bona ministeriaque eo vertant, quo civitatis rectores præscripserunt, normis iustitiae, præcipienda modis et terminis servatis. Qui potestatem videlicet in civitate gerunt, iis actis præcipiant oportet, quae non tantum ritè ipsa sint perfecta, sed etiam vel ad civitatis bonum prorsus spectent, vel eodem adducere possint.

Verumtamen cum in communi omnium bono ratio tota sit posita civitatis rectorum, inde planè cogitur, ut hi bonum idem ita quaerant, ut simul eius naturam observent, simul sua præcepta cum præsenti rerum statu componant. ([29](#))

Principia salutis communis

33. Sine dubio in bono communi insita ducenda sunt, quae sunt propria cuiusvis gentis singulatim; ([30](#)) sed haec bonum commune omni ex parte minimè definiunt. Nam commune bonum, propterea quod cum humanâ naturâ penitus cohaeret, idcirco totum et in integro nequit consistere nisi, spectatis boni communis intimâ naturâ et effectione, semper humanae personae ratio habeatur. ([31](#))

34. Quin et illud accedit, quod hoc bonum, ex suâ ipsius naturâ, omnia membra civitatis participant necesse est, quamquam diversâ ratione, pro cuiusque nimirum civis muneribus, meritis et condicionibus. Quam ob causam cunctis rei publicae principibus eo est contendendum, ut nullo quidem cive nullo civium ordine præposito, huius generis bonum ad omnium utilitatem provehant; quemadmodum confirmat Decessor Noster imm. mem. Leo XIII hisce verbis: «Neque ullo pacto committendum, unius ut vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit». ([32](#)) At vero iustitiae aequitatisque rationes illud aliquando poscere possunt, ut qui res publicas gerunt plus studii civibus humilioribus navent, quippe qui ad sua vindicanda iura et ad legitima commoda sua asserenda minus ipsi valeant. ([33](#))

35. Sed hòc loco filios Nostros admonendos esse opinamur, bonum commune ad integrum hominem attinere, hoc est ad eius tam corporis quam animi necessitates. Ex quo consequens est, ut rei publicae rectores ad bonum illud idoneis viis gradibusque assequendum spectent: ita scilicet ut, recto rerum ordine servato, cum bonis corporis bona pariter animi civibus suppeditent. ([34](#))

Quae sanè principia definitè concludere haec sententia videtur Nostrarum Litterarum Encyclicarum, Mater et Magistra, quâ in medio posuimus, commune omnium bonum «summam complecti earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi». ([35](#))

Itaque homines, utpote qui ex corpore et animo immortaliter constent, intra mortalem hanc vitam neque suas explere necessitates, neque perfectam adipisci felicitatem possunt. Quocirca commune

bonum eiusmodi viis atque rationibus parandum est, quibus non modo aeternae hominum saluti non officiatur, sed eidem etiam serviatur. (36)

Munera curatorum rei publicae et iura officiaque personae

36. Verum cum nostrâ hac aetate commune bonum maximè in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipuè in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit. Etenim «inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum». (37)

Magistratibus curandum esse, ne cives iura persequentes alii alios interpellent

37. Quam ob causam, si qui magistratûs iura hominis vel non agnoscant vel violent, non tantum ab officio ipsi suo discedant, sed etiam quae ab ipsis sint imperata, omni obligandi vi careant. (38)

Praeterea ii qui reipublicae gubernacula tractant in praecipuo officio sunt aptè convenienterque iura, quibus homines alii cum aliis societate coniunguntur, ita componere et moderari, ne primum cives iura sua persequentes, alteros in suis iuribus interpellent; ne deinde alius sua servans iura, alios officia sua obeuentes retardet; ut postremo omnium iura cum efficaciter sarta tecta conserventur, tum in integrum, si quae violata sint, restituantur. (39)

Magistratibus iura civium esse tuenda

38. Accedit etiam quod ii, qui civitatis sunt capita, in eo collocare operam re ipsâ debent, ut is rerum status exsistat, in quo singuli cives et possint et facile possint sive sua iura tueri, sive sua officia praestare; cum illud nos usus docuerit, nisi circa rem oeconomicam, circa rem publicam, circa doctrinarum cultum magistratûs convenienter egerint, maximè nostris hisce temporibus inaequalitates latius latiusque inter cives permanare, fierique idcirco, ut hominis iura et officia quâlibet effectione careant.

39. Quapropter qui publicam rem administrant, studium curamque in eo defigant necesse est, ut cives sicut in re oeconomicâ ita in re sociali progrediantur, atque pro explicato rerum gignendarum apparatu, praecipua etiam ministeria explicitur; cuius sunt generis: viarum munitiones, res vectoriae, mutui commercii rationes, aqua ad bibendum apta, domicilia, cauta ad valetudinem adiumenta, expedita subsidia ad religiosae professionem fidei, denique auxilia ad animi relaxationem. In eo etiam civitatis proceres enitantur opus est, ut de pecuniae subsidio civibus caveant, ne ipsis, si quando aut calamitas inciderit, aut recepti familiaris officii ratio gravior intervenerit, necessaria ad dignum vitae cultum desint. Neque minus iis, qui reipublicae imperium obtinent, contendendum et efficiendum est, ut operariis ad laborem idoneis facultas preebeatur opera suscipiendi cum suis viribus consentanea; ut cuique merces ex iustitiae aequitatisque legibus persolvatur; ut in societatibus ad bona gignenda fundatis liceat opificibus se impensi operis sentire auctores; ut commodè possint interiecta corpora condi, quibus civium convictus et fructuosior fiat et expeditior; ut denique omnes, modis quidem et gradibus opportunis, doctrinarum bona participare queant.

A rectoribus in civium iuribus tutandis et provehendis serviendum esse aequilibritati

40. At enim communis omnium utilitas hoc etiam profecto flagitat, ut rei publicae rectores in civium iuribus tum componendis et tutandis, tum provehendis summae serviant aequilibritati; ne videlicet quorundam hominum vel societatum antepositis iuribus, praecipua iisdem commoda in re publicâ oriantur; neve dum ad iura civium servanda spectant, quominus his ipsi planè fungantur, impedimento absurdè sint. Nam «semper illud maneat, publicarum auctoritatum providentiam de re oeconomicâ, etiamsi latè pateat atque intimas communitatis partes attingat, eiusmodi tamen esse

oportere, ut privatorum libertatem in agendo, non sôlum non coercent, sed etiam augeant, modo praecipua cuiusvis humanae personae iura sarta tecta serventur». (40)

Atque eodem pertinere debent varii generis conatûs a civitatis rectoribus ideo suscepti, ut cives facilius possint tam sua vindicare iura, quam officia sua in quibuslibet vitae socialis provinciis explere.

Res publica quâ sit formâ et quibus muneribus

41. Ceteroquin nequit in universum decerni, quae aptior sit reipublicae forma, quibusve accommodatoribus modis civitatis moderatores sua sustineant munera, qua lèges ferendas contingentia, quâ publicam rem administrandam, quâ iudicia exercenda.

Re enim verâ ad constituendum quâ forma civitas regatur, quâve ratione sua exsequatur munera, non potest quin praesens cuiusque populi status et condicio plurimum valeant: quae scilicet pro locis et temporibus mutantur. At illud hominum naturae consentaneum esse opinamur, si civium convictus ita conformetur, ut ex triplici eo magistratum ordine constet, qui tribus praecipuis publicae auctoritatis muneribus aptê respondeat; quandoquidem in eiusmodi civitate, non modo magistratum munera, sed mutuae etiam civium et publicorum ministrorum rationes sunt ad iuris normam descripta. Quod sanê civibus, hinc sua iura tuentibus inde sua coletibus officia, certum affert praesidium.

42. At vero ut huiusmodi iuridicialis et politica civitatis compositio suas pariat utilitates, res ipsa poscit, ut magistratûs operam suam ponant oblatasque difficultates explicit idoneis rationibus atque instrumentis, iisque cum suis ipsorum muneribus, cumque praesenti civitatis statu congruentibus. Idem praeterea postulat ut, rerum condicione se perpetuo vertente, reipublicae legumlatores in agendo numquam debeant neque morum normas, neque civitatis instituta, neque boni communis necessitates neglegere. Deinde sicut a reipublicae administratoribus, qui iam lèges planè cognoverint resque adiunctas diligenter perpenderint, omnia ex iure componenda sunt, ita a iudicibus, humanâ quidem integritate sed nullâ partium sollicitatione ductis, ius cuique suum est reddendum. Tum etiam rerum ordo exigit, non minus singulos cives quam interiecta corpora, si qua ipsis iura sint asserenda et officia obeunda, ex lège opportunis munitamentis ditari; sive civibus sit inter se agendum, sive cum publicis ministris. (41)

Ordo iuris et conscientia moralis

43. Neque dubium esse potest, quin iuridicialis reipublicae ordinatio, pariter cum iusti rectique normis, pariter cum progressâ civitatis disciplinâ consentaneâ, summopere ad communes omnium utilitates conducat.

Sed tamen hac nostrâ aetate vita socialis tam varia, tam multiformis, tam alacris est, ut iuridicialis dispositio, quamvis magnâ prudentiâ providentique consilio constituta, saepenumero necessitatibus impar videatur.

Addendum eodem et illud quod rationes, quae primum civibus cum aliis civibus, deinde civibus et interiectis corporibus cum magistratibus, postremo magistratibus cum magistratibus eiusdem civitatis intercedunt, quandoque videmus tam ancipites tamque periculi plenas fieri, ut eas in certos concludere iuris fines nequeamus. Quibus in casibus res ipsa postulat, ut reipublicae moderatores, si velint iuridicalem civitatis disciplinam, iam pro re ipsâ, iam pro causis, servare incolumem; si velint praecipuis socialis vitae servire requisitis; si velint ad hodiernae vitae usûs et lèges ipsas accommodare et novas expedire quaestiones, tum vero iidem rectê sentiant, cuius generis sint sua munera quibusve terminis circumscribantur; atque tantâ animi aequitate et integritate, tantoque ingenii acumine voluntatisque constantiâ polleant, ut praeterquam quae facto opus sint sine cunctatione videant, ea etiam tempestivê et valenter efficiant. (42)

Civibus licere ad rei publicae administrationem se conferre

44. Quod autem hominibus ad reipublicae administrationem se conferre licet, id est certē suae dignitatis proprium, etiamsi administrationem ipsam modis tantum participare possunt cum civitatis statu convenientibus, cuius sunt membra.

De cetero ex eo quod hominibus fas est ad reipublicae administrationem accedere, novae propterea iisdem amplissimaeque praebentur utilitatis facultates. Quoniamque in hac rerum condicione ii qui civitati praesunt frequentius in civium congressum et colloquium veniunt, ideo aptius quae ad commune bonum valeant ipsi cognoscere queunt; atque etiam, cum alii publici ministri in aliorum locum certis temporibus subeant, eorum idcirco auctoritas tantum abest ut senescat, ut potius pro humanae societatis progressionibus quodammodo revirescat. (43)

Notae aetatis

45. Quibus ex propositis rebus planē nascitur, nostrā hac aetate in iuridicali civitatum compositione postulari primum, ut iurum praecipuorum, quae hominum sint propria, summa quaedam, sententiis nimirum concisis et perspicuis conclusa, exaretur, inque universâ reipublicae disciplinâ intexatur. Postulatur deinde, ut, verbis adhibitis ad iuris doctrinam accommodatis, uniuscuiusque civitatis publica constitutio adornetur; quâ scilicet definiatur quibus modis reipublicae rectores designentur, quo vinculo hi coniungi alii cum aliis debeant, quaenam eorum sint singulae diciones, denique quâ viâ rationeque ad agendum ipsi obstringantur.

Postulatur denique, ut in specie iuris et officii rationes describantur, quibus cives cum reipublicae moderatoribus contineantur; utque distinctē decernatur praecipuum eorumdem esse munus, civium iura et munera agnoscere, colere, invicem componere, tueri, ad processūs provehere.

Probari tamen eorum placitum nequit, qui profitentur, sive e singulorum hominum, sive e quarundam societatum voluntate, tamquam a primo et unico fonte, cum civium iura et officia oriri, tum publicae constitutionis obligandi vim manare, tum postremo civitatis principum imperandi potestatem proficisci. (44)

46. At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hōc tempore homines magis magisque fieri suae dignitatis conscos, atque adeo incitari cum ad reipublicae administrationem participandam, tum ad poscendum, ut propria, inviolabiliaque iura in publicâ civitatis disciplina serventur. Neque haec satis; nam homines nunc illud insuper poscunt, ut nempe civitatis auctoritates et ad normam publicae constitutionis creentur, et sua munera intra eiusdem terminos obeant.

III.

QUALES NECESSITUDINES VALEANT INTER NATIONES

Inter nationes intercedere iura et officia

47. Quod de civitatibus Decessores Nostri saepe docuerunt, idem placet nunc auctoritate Nostrâ confirmare: mutua scilicet inter nationes iura et officia intercedere; ac propterea earum necessitudines ad normam veritatis, iustitiae, alacris animorum coniunctionis, libertatisque componendas esse. Quae enim naturae lex singulorum civium vivendi disciplinam regit, eadem mutuas etiam rerum publicarum rationes moderetur oportet.

Quae sententia cuique facile patet, si consideret, moderatores civitatum nullo modo posse naturali suâ excidere dignitate, dum suae communitatis partes agunt eiusque bono prospiciunt; atque adeo nullo pacto iisdem licere naturae legem, quâ obstringuntur, deserere, quae est ipsa regula morum. Ceterum animo ne fingi quidem potest, homines, idcirco quod publicae rei regimini praeponuntur, necessitate cogi suam exuere humanitatem. Contra iidem ob eam causam amplissimae huiusmodi dignitatis gradum obtinuerunt, quod, spectatis egregiis animi dotibus atque ornamentis, partes reipublicae praestantissimae habitu sunt.

Quin etiam ex ipso morali ordine consequitur, ut civili hominum communitati necessaria sit auctoritas, quâ regatur; utque auctoritas in ipsum ordinem torqueri non possit, quin illico corruat, fundamento suo destituta. Scilicet, quae est Dei ipsius admonitio: «Audite ergo, rôges, et intelligite; discite, iudices finium terrae. Praebete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur» (*Sap 6,2-4*).

48. Ad extremum tenendum est, etiam quod attinet ad mutuas ordinandas civitatum rationes, auctoritatem ita esse gerendam, ut commune omnium bonum promoveat, utpote quae ad id in primis sit constituta.

In maximis autem communis boni praeceptis illud ponendum est, ut moralis ordo agnoscatur eiusque iussa inviolatê serventur. «Bene constitutus civitatum ordo in honestatis normâ tamquam in rupe immotâ atque immutabili inniti debet, quam mundi Auctor in ipsâ rerum naturâ manifestam voluit, in animisque hominum notis indelebilibus insculpsit. ... Eadem, clarissimi luminis instar, praeceptorum suorum luce rectum iter necessario ostendit cum singulis hominibus, tum nationibus; qui quidem ex eius monitoriis, salutaribus providisque signis normas semper ductumque sumere debent, ne quidquid laboris atque industriae ad novum rerum ordinem instaurandum ab ipsis susceptum sit, saevis veluti procellis tradatur ac naufragio intereat». ([45](#))

Mutua civitatum vincula gubernanda esse veritate

49. Atque principio statuendum est, mutua civitatum vincula veritate gubernari oportere. Veritas autem postulat, ut hac in re nulla prorsus ratio habeatur stirpium discriminis; ac propterea sanctum firmumque censeatur, civitates omnes naturae dignitate inter se pares esse. Ad unamquamque earum igitur iure pertinet ut sit, ut proficiat, ut adiumenta ad id necessaria possideat, ut denique in hôc obtinendo adipiscendoque primum in se periculum recipiat; itemque legitimo iure postulare potest, ut bonâ fruatur opinione, utque sibi debiti honores tribuantur.

Hoc nos docuit usus, homines saepissimê inter se discrepare, et quidem valdê, scientiâ, virtute, ingenii vi, bonorumque externorum copiâ. Exinde tamen numquam iusta causa nascitur, cur ii, qui ceteris praestent, alios sibi obnoxios quoquo modo faciant; quin potius iidem graviore obligantur officio, ad singulos universos pertinente, alios iuvandi ad perfectionem mutuâ operâ adipiscendam. Similiter contingere potest, ut inter nationes aliae aliis praestent scientiarum incrementis, humanitatis cultu ac rationum oeconomicarum progressu. At tantum abest ut ob hanc excellentiam iis liceat iniustê dominari in alias, ut eaedem maiorem conferre operam debeat ad communem populorum profectum.

50. Ac re verâ nequeunt homines naturâ aliis superiores esse, cum omnes pari excellant naturali dignitate. Ex quo consequitur, civiles quoque communitates nihil inter se differre, si ipsarum dignitas a naturâ orta spectetur; singulae enim respublicae cuiusdam corporis similitudinem gerunt, cuius membra sunt homines. Ceterum, ut usu cognitum habemus, iis omnibus rebus, quae ad sui nominis dignitatem quoquo modo attinent, populi tangi solent, nec immerito sanê, quam maximê. Tum veritas iubet, in plurimis illis inceptis, quae post recentiora technicorum inventa in usum inducta sunt, et quorum ope populorum mutua cognitio fovetur ac propagatur, serenas aequitatis normas omnino servari. Quod minimê prohibet, quominus populi suas ipsi virtutes in praecipuâ luce collocent. Sed reicienda sunt prorsus eae perulgandi nuntios rationes, quibus alicuius populi fama laedatur, veritatis et iustitiae praeceptis violatis. ([46](#))

Mutua civitatum vincula gubernanda esse iustitiâ

51. Iam porro mutuae civitatum necessitudines ad normam iustitiae componendae sunt; quod requirit, ut simul iura mutua agnoscantur, simul mutua officia persolvantur.

Quoniam vero civitates ius habent et vivendi, et progrediendi, et adiumentorum copiam adipiscendi suo profectui necessariam, et primarias partes in hac re gerendi, et bonam famam suam honoresque sibi debitos tuendi, ex eo efficitur, ut civitates pariter obstringantur officio efficaciter tuendi singula

huiusmodi iura, et eos actūs praetermittendi, qui eadem laedere possint. Sicut enim in suis privatis negotiis homines nequeunt sua persequi commoda, cum iniusto aliorum detimento, eodem modo civitates non possunt, citra scelus, illud rerum suarum incrementum appetere, quo aliae nationes iniuriam accipiunt vel iniquē opprimantur. In quam rem aptē cadere videtur haec S. Augustini sententia: «**Remotā iustitiā, quid sunt regna nisi magna latrocinia?**». (47)

Scilicet contingere potest, ac reverā contingit, ut commoda utilitatesque, quae civitates sibi querere contendant, inter se pugnant; discidia tamen inde orta non armorum vi, nec fraude vel dolo sunt dirimenda, sed, ut homines addecet, mutuā rationum animorumque aestimatione, rebus maturē atque ex veritate perpensis, et contrariis sententiis ad aequitatem compositis.

De minoritatibus quid faciendum sit

52. Quam ad rem peculiari modo pertinet ille publicarum rerum cursus, qui inde a saeculo XIX ubique terrarum increbruit passim atque invaluit, quo fit ut homines eiusdem stirpis sui iuris esse velint atque in unam nationem coire. Quod cum pluribus de causis non semper effici possit, illud exinde oritur, ut gentes pauciores numero intra fines nationis alius stirpis saepe contineantur, atque ex hōc quaestiones magnae gravitatis existant.

Hac in re apertē profitendum est, quidquid contra has gentes agatur ad coērcendum stirpis vigorem atque incrementum, iustitiae officiis graviter adversari; idque multo magis, si prava huiusmodi molimina ad ipsam gentis internencionem spectent.

Immo vero iustitiae praexceptis apprimē respondet, a reipublicae moderatoribus efficacem dari operam provehendis humanis condicionibus civium stirpis numero inferioris, nominatim quod attinet ad eorum linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta in re oeconomicā. (48)

53. Nihilo minus animadvertisendum est, hos cives numero pauciores, sive ob rerum statum, quem aegrē ferre cogantur, sive ob praeteritorum temporum eventūs, haud raro proclives esse ad ea, quae suae gentis sunt propria, plus aequo efferenda; adeo quidem, ut vel ipsa bona posthabent, quae omnium hominum sunt propria, quasi humanae familiae bonum bono suae ipsorum gentis servire oporteat. Rationi vero consentaneum est, ut iidem cives commoda quoque agnoscant, sibi ex peculiaribus hisce rerum adjunctis orta: ad ingenii sui nempe atque animi perfectionem non parum conferre cotidianam cum civibus alio civili cultu imbutis consuetudinem; cum ex hac paulatim ipsi virtutes, quae ad aliam gentem pertineant, in sucum et sanguinem suum convertere possint. Hoc tamen tantum eveniet, si cives numero pauciores, cum circumiectis populis societate quadam inita, horum usus et instituta participare studeant; non autem, si iidem contentiones serant, quae iacturas pariant innumerās, ac civilem nationum progressionem cohibeant.

Mutua civitatum vincula gubernanda esse virium coniunctione

54. Quoniam mutuae civitatum necessitudines ad normam veritatis atque iustitiae componi oportet, tum ex actuosa virium animorumque coniunctione eae incrementum capere debent. Id autem effici potest hinc atque illinc sociatā multiformiter operā; quod nostrā aetate non sine salutaribus fructibus evenit, quod attinet ad rationes oeconomics, ad rem socialem et politicam, ad ingenii cultum, ad civium valetudinem et ad gymnicos ludos. Quā de re ante oculos habeamus necesse est, publicam potestatem suāpte naturā non ad id constitutam esse, ut homines intra fines dumtaxat suae cuiusque nationis coērceat, sed ut tueatur in primis commune civitatis bonum, quod quidem a bono totius humanae familiae secerni certo nequit.

Ita fit ut civiles communites, in suis consecrandis utilitatibus, non solum aliis nocere non debeant, verum etiam inter se consilia viresque coniungere, ubi singularum civitatum nisus ad optatos exitus pervenire non valeant; qua in re maximopere cavendum est, ne quod quibusdam civitatibus prosit, aliis potius incommode, quam utilitatem afferat.

Tum etiam commune universale bonum requirit, ut in unaquaque natione inter cives et interiectas societas commercium omne genus foveatur.

55. Cum enim in multis terrarum orbis partibus exstant hominum coniunctiones stirpe plus minusve inter se dissimiles, prospiciendum est, ne alius stirpis homines impedianter, quominus cum alius stirpis hominibus commercium habeant; quod aperte a nostrae aetatis rationibus dissidet, quâ intervalla prope submota sunt, quibus a populis populi seiunguntur. Neque praetereundum est homines cuiusvis stirpis, praeter proprias peculiaresque dotes, quibus a reliquis distinguuntur hominibus, alias habere cum iisdem communes, easque magni momenti, quibus possunt magis magisque progredi et sese perficere, praesertim in iis, quae ad bona animi pertinent. Iis igitur ius et officium est vitam degere cum ceteris societate coniunctis.

Sociam operam populorum esse necessariam

56. Res est omnibus planè perspecta, alicubi terrarum distantiam esse inter agrorum exercendorum spatia et incolarum numerum; alicubi inter soli divitias et prompta agrorum vertendorum instrumenta; atque adeo necessitatem a populis sociam operam postulare, quam sequatur facilior sive bonorum, sive fortunarum, sive hominum ipsorum commeatus. (49)

In huiusmodi causis peropportunè fieri censemus, ut, quoad possit, res operam, non autem opera rem quaerat. Tunc enim plurimis civibus facultas praebetur rei familiaris amplificandæ, quin, patrio relicto loco, magnâ cum animi aegritudine et aliam petere sedem, et novum amplecti rerum statum, et cum aliis civibus novas inire rationum consuetudines cogantur.

Profugi politici

57. Utpote qui paternae caritatis sensibus Deo movente universos diligamus homines, acerbo cum animi maerore eorum casûs reputamus, qui politicarum rerum causâ depulsi patriâ sunt; horum enim profugorum multitudinem, nostrâ aetate sanâ innumeram, plurimi incredibilesque dolores semper comitantur.

Id profecto ostendit, quarundam nationum principes plus nimio circumscribere iustae libertatis fines, intra quos singulis civibus liceat vitam agere homine dignam; immo in huius exempli civitatibus quandoque vel ipsum libertatis ius aut in dubium vocatur, aut etiam planè tollitur. Quod cum accidit, rectus civilis societatis ordo penitus revertitur; nam potestas publica suâpte naturâ ad tutandum communitatis bonum spectat, cuius princeps officium est agnoscere honestos libertatis fines eiusque iura sarta tecta servare.

Propter hanc causam abs re non erit hōc locō homines ad illud revocare, huiusmodi profugos personae dignitate ornatos esse, iisque personae iura esse agnoscenda. Quae iura profugi amittere non potuerunt, propterea quod nationis suae civitate sint destituti.

58. Jamvero inter humanæ personæ iura illud etiam recensendum est, licere cuique se in eam nationem conferre, ubi aptius se posse speret sibi atque suis necessariis prospicere. Quare rei publicae moderatorum officium est alienos venientes excipere, et, quantum suae communitatis sinit non fucatum bonum, eorum proposito favere, qui forte novae societati sese velint aggregare.

Quas ob causas, publicè probamus laudamusque, hac datâ opportunitate, ea omnia incepta, quae fraternali coniunctionis vel christiana caritatis principiis conformata, eo pertinent, ut aerumnae eorum releventur, qui a suis locis ad alia semigrare adigantur.

Ac facere non possumus, quin omnibus cordatis hominibus ad laudandum proponamus illa ex variis nationibus instituta Consilia, quae in hac gravissimi ponderis re omnes curas collocant.

Disarmatio

59. In contrariam vero partem non sine magno doloris sensu videmus, in quibus civitatibus res oeconomicae magis profecerint, inibi immania parata esse bellica arma atque adhuc parari, in id maximis sive animi sive corporis bonis collatis. Quo fit, ut, dum harum nationum civibus haud levia onera tolerare est opus, aliae civitates subsidiis indigeant, quibus in re oeconomicâ et sociali progrediantur.

Cuius quidem militaris apparatūs probabilis causa ex eo peti solet, quod pax – ita aiunt – in hisce rerum adiunctis tuta esse non potest, nisi pari armorum apparatu innitatur. Quare si militaris res alicubi incrementum capit, fit continuo ut aliis etiam locis studia augendorum armorum certatim ingravescant. Ac si qua natio in atomicis belli instrumentis parata est, hoc aliis nationibus causam praebet, cur id genus arma, pari delendi vi praedita, sibi parare contendant.

60. Inde consequitur, ut populi perpetuo in metu sint, quasi in eos procella impendeat, quae quovis temporis momento horrifico impetu commoveri possit. Nec immerito, cum reverā arma non desint. Quodsi vix credibile est, homines esse, qui necesse immanesque ruinas e bello orituras in se recipere audeant, infitiandum tamen non est, necopinato incertoque facto posse belli incendium exciri. Ac praeterea, quamvis immanis militaris apparatus potentia hodie homines a bello suscipiendo deterreat, nihilominus tamen est cur timeatur, ne ipsa atomicorum instrumentorum experimenta belli causā suscepta, nisi cessent, varia vitae genera in terris grave in discrimen possint adducere.

Quare iustitia, recta ratio, humanaeque dignitatis sensus instanter requirunt, ut desinant aemula rei militaris augendae studia; ut bellica instrumenta, quae variis civitatibus praesto sunt, hinc inde, per idemque tempus minuantur; ut atomica arma interdicantur; ut tandem ad congruentem ab armis discessum omnes ex condicto deveniant, mutuā efficacique cautione adhibitā. «Omnibus viribus prohibendum est – admonebat Decessor Noster fel. rec. [Pius XII](#) – quominus generale omnium gentium bellum, quod tot pariat iacturas in re oeconomicā et sociali, totque flagitia ac morum perturbationes habeat coniuncta, tertium saeviat in humanam familiam». (50)

61. Omnibus tamen persuasum esse debet, non posse neque rei militaris augendae intermitti studia, neque arma imminui, neque – quod caput est – usquequaque armamenta de medio tolli, nisi huiusmodi ab armis discessus plenus expletusque sit atque ipsos attingat animos; nisi scilicet omnes concordem sinceramque dent operam, ut ex animis metus atque anxia belli exspectatio pellantur. Id autem poscit, ut pro supremā lēge, quā hodie pax continetur, alia prorsus subiciatur, quā statuatur, non in pari rei militaris apparatu, sed in mutuā tantummodo fide, veri nominis pacem inter populos firmam posse consistere. Quod Nos fieri posse confidimus, cum de causā agatur, non tantum rectae rationis normis imperata, sed etiam summopere optabili et bonorum uberrima.

62. Agitur in primis de causā, ratione imperatā. Ac reverā, quemadmodum inter omnes constat, aut saltem constare debet, mutuae civitatum necessitudines, haud secus ac singulorum hominum rationes, non armorum vi, sed ad rectae rationis normam, hoc est ad normam veritatis, iustitiae, actuosaeque animorum coniunctionis, sunt componendae.

Deinde huiusmodi causam vehementer dicimus expetendam. Quis enim flagrantissimis non exoptet votis, ut belli discrimina arceantur, pax vero incolumis servetur, firmioribusque in dies muniatur praesidiis?

Postremo haec causa est bonorum uberrima, cum eius commoditates in omnes prorsus recidant: scilicet in singulos homines, in domesticos convictūs, in populos, in universam demum humanae gentis familiam. Quā de re haec Decessoris Nostri [Pii XII](#) monitoria vox sonat adhuc ac vibrat in auribus nostris: «**Pace nihil perire; bellum omnia perdere posse**». (51)

63. Quae cum ita sint, Nos qui vices in terris gerimus Servatoris mundi pacisque auctoris, Christi Iesu, incensissima totius humanae familiae optata interpretati paternaque erga universos homines caritate permoti, officii Nostri partes esse existimamus, homines rogare et obsecrare, eos in primis qui publicam rem moderantur, ut nullis curis nullisque laboribus parcant, donec humanarum rerum cursus cum hominis ratione dignitateque congruat.

In virorum consiliis, qui prudentiā auctoritateque praestant, penitus investigetur, quā potissimum ratione in universo terrarum orbe mutuae civitatum necessitudines ad humaniorem aequilibritatem conformentur; aequilibritatem dicimus, quae in mutuā fide, in pactionum sinceritate, in condicionibus inviolatē servatis posita sit. Haec autem quaestio ita omni ex parte perpendatur, ut caput emergat, unde amica, firma ac perutilia foedera initium capiant.

Ad Nos quod attinet, supplices Deo preces admovere non intermitteremus, ut supernā ope suā hos labores prosperet atque fecundet.

Libertas nationum

64. Quin et illud accedit quod mutuae rerum publicarum rationes ad libertatis normam sunt ordinandae. Cuius sententiae vis haec est, ut nulli nationi quidquam facere liceat, quo alias iniustê opprimat, aut earum negotiis se immerito interponat. Omnes contra aliis opitulentur necesse est, ut hae magis magisque sibi sint officiorum suorum conscientiae, ut nova et utilia conentur, ut in quolibet alacritatis genere per se ipsae proficiant.

Ut progrediantur civitates egentiores

65. Quandoquidem omnes homines communi consortio et originis, et christianaे Redemptionis, et superni finis inter se copulantur et ad unam coniungendam christianam familiam vocantur, idcirco in Encyclicis Litteris Mater et Magistra, civitates opulentiores hortati sumus ad opem multimodis ferendam civitatibus, quarum oeconomiae progressiones essent in cursu. (52)

Atque nunc, non sine magno animi Nostri solacio fatemur, huiusmodi monita latê excepta esse; ac fore confidimus, ut eadem in posterum adhuc latius excipientur; ut scilicet civitates egentiores quam primum ita in re oeconomicâ progrediantur, ut cives vitam ducere valeant humanae dignitati magis parem.

66. At in promptu illud est iterum iterumque ponendum, ita populis subveniatur opus esse, ut hi incolumem libertatem suam servare queant, atque, in hôc rei oeconomiae et socialis progressu, sive praecipuas partes sibi esse tribuendas sentiant, sive in se huius efficienda rei onus potissimum recidere.

Quâ de re Decessor Noster fel. rec. [Pius XII](#) sapienter haec docuit: «**Novus rerum ordo**, honestatis normis innixus, prorsus prohibet quominus libertas, integritas atque incolumitas laedantur aliarum nationum, quaecumque sunt earum amplitudo ac tuendi se facultas. Quodsi ferê necessario contingit, ut maiores civitates, utpote quae uberioribus opibus floreant ac potentia praestant, in societatibus de re oeconomicâ cum minoribus civitatibus coniungendis normas ipsae statuant, nihilominus tamen his minoribus civitatibus aequê ac ceteris praeceps nequit, salvo communi omnium bono, ius rem publicam liberê administrandi nullique se addicendi parti in nationum contentionibus, ut praecepit ipsum ius naturale et ius gentium; itemque ad has minores civitates ius pertinet suum tuendi rei oeconomiae incrementum. Etenim, tantummodo hisce iuribus in tuto positis, fieri potest, ut hae minores nationes congruenter promovere queant commune omnium bonum ac simul suorum civium prosperitatem, sive in bonis externis, sive in rebus, quae ad animi cultum et profectum attinent». (53)

Florentiores igitur republicae, dum egentioribus multis modis succurrunt, summopere vereantur necesse est peculiares cuiusque gentis notas earumque civilia instituta a maioribus tradita, itemque cavere debent a quovis dominandi consilio. Quod si factum erit, «non parum certê proderit ad omnium rerum publicarum veluti communitatem iungendam, quarum singulae, sibi suorum iurium officiorumque conscientiae, pari ratione ad omnium populorum prosperitatem spectent». (54)

Controversias non armis sed pactis et conventis dirimendas esse

67. Magis magisque nostris temporibus hominum animos persuasio pervasit, controversias, quae forte inter populos oriantur, non armis, sed pactis et conventis dirimendas esse.

Persuasio haec, fatemur quidem, plerumque a terrificâ delendi vi, quae cum hodiernis bellicis instrumentis coniuncta est, atque a timore calamitatum et horrendarum ruinarum, quas arma id genus êderent, initium dicit. Quare aetate hac nostrâ, quae vi atomicâ gloriatur, alienum est a ratione, bellum iam aptum esse ad violata iura sacerienda.

Attamen saepe pro dolor populos videmus timori, tamquam supremae lègi, esse obnoxios, atque idcirco in rem militarem pecuniam impendere amplissimam. Quod se facere affirmant - nec est cur iisdem fidem non adiungamus - consilio ductos non opprimendi, sed deterrendi alios ab impetu faciendo.

Nihilo seius fore sperandum est, ut populi, mutuis institutis necessitudinibus et negotiis, melius agnoscant humanae naturae vincula, quibus invicem consocientur; intellegantque pulchrius, in praecipuis communis naturae officiis hoc esse collocandum, ut singulorum hominum populorumque consuetudines amori obtemperent, non timori; nam in primis amoris est homines adducere ad sinceram ac multiformem rerum animorumque coniunctionem, unde tot bona in ipsos manare possunt.

IV. QUALES NECESSITUDINES SINT INTER SINGULAS CIVITATES ET COMMUNITATEM

Singulas civitates oeconomiâ et scientiis inter se conexas esse

68. Recentiora scientiarum artiumque incrementa, cum plurimum humanos mores affecerint, homines, quotquot ubique terrarum sunt, commovent, ut magis magisque mutuam coniungant operam interque seipsos consocientur. Hodie enim rerum, doctrinarum hominumque commeatûs valdê sunt adacti. Quare summopere increbruerunt mutuae necessitudines civium, familiarum, interpositarumque societatum ad varias nationes pertinentium, frequentioresque ineuntur inter moderatores variarum civitatum rationes. Per idem tempus aliarum civitatum res oeconomiae magis in dies rebus oeconomicis aliarum continentur; rationes oeconomicae nationum adeo inter se gradatim cohaerescunt, ut ex singulis simul iunctis quaedam quasi ordinatio rerum oeconomicarum totius orbis exsistat; denique progressus socialis, ordo, securitas ac tranquillitas cuiusvis civitatis necessario cum ceterarum conectuntur.

Hisce positis, patet, singulas civitates, separatim a reliquis, suis utilitatibus congruenter consulere, seseque, ut oportet, perficere prorsus non posse. Prosperitas enim ac processus alicuius civitatis iam omnium aliarum prosperitatem ac progressum partim consequitur, partim efficit.

Praesentes organisationes non sufficere ad salutem universalem

69. Humanae unitatem consortium nulla delebit aetas, cum ex hominibus eadem constet, naturalem dignitatem aequo iure participantibus. Hac de causâ flagitabit semper necessitas, ex ipsâ hominis naturâ orta, ut convenienter bono universalis studeatur, quod scilicet cunctae hominum familiae interest.

Praeteritis temporibus rerum publicarum rectores visi sunt satis posse bono communi universalis consulere; qui quidem ad id contendebant sive per suae nationis legatos, sive per conventûs et colloquia hominum in civitate praestantissimorum, sive per pacta et conventa: viis nempe instrumentisque adhibitis, quae vel iure naturali, vel iure gentium, vel iure omnibus nationibus communi describebantur.

Nostris vero diebus mutuae civitatum consuetudines magnas habuerunt mutationes. Ex alterâ namque parte bonum omnium gentium commune quaestiones proponit summae gravitatis, arduas et quam primum solvendas quod praesertim attinet ad totius orbis securitatem pacemque tuendam; ex alterâ, singularum nationum moderatores, utpote qui inter se eodem sint iure, quantumvis conventus studiaque multiplicent ad aptiora iuris instrumenta reperienda, id tamen satis non assequuntur; non quo sincera voluntate et alacritate ipsi careant, sed quia ipsorum auctoritas idonea caret potestate.

70. In hodiernis igitur humanae societatis adjunctis, tum rerum publicarum constitutio ac forma, tum vis, qua in universis terrarum orbis nationibus pollet publica auctoritas, bono omnium populorum communi provehendo sunt impares habendae.

Quatenus inter se cohaereant salus communis et potestas politica

71. Iamvero, si diligenter perpendantur hinc intima boni communis ratio, illinc publicae auctoritatis natura atque perfunctio, nemo est quin videat inter utramque rem necessariam intercedere convenientiam. Etenim moralis ordo, quemadmodum publicam auctoritatem postulat ad bonum

commune in civili societate promovendum, similiter requirit, ut eadem auctoritas id reapse efficere possit. Ex quo fit, ut civilia instituta – in quibus publica auctoritas vertitur, operatur suumque finem consequitur – tali formâ ac tali efficacitate sint praedita, ut ad commune bonum conducere valeant viis ac rationibus, quae variis rerum momentis aptê respondeant.

Cum autem hodie commune omnium gentium bonum quaestiones proponat, omnes contingentes populos; cumque huiusmodi quaestiones nonnisi publicâ quaedam auctoritas explicare possit, cuius et potestas, et forma, et instrumenta aequâ sint amplitudine, cuiusque actio tam latê pateat quantum terrarum orbis; tum exinde sequitur, ut, ipso morali ordine cogente, publica quaedam generalis auctoritas constituenda sit.

Auctoritatem generalem esse populorum consensione condendam, non vi imponendam

72. Haec autem generalis auctoritas, cuius imperium ubique terrarum vim habeat, idoneisque instrumentis ad commune bonum universale conducat, omnium utique populorum consensione condenda est, non vero vi imponenda. Quod ex eo nascitur, quod, cum huiusmodi auctoritas efficaciter munere suo perfungi debeat, idcirco aequabilis in omnes, a studio partium prorsus aliena, atque ad commune omnium gentium bonum intenta sit oportet. Nam si a potentioribus nationibus haec universalis auctoritas vi imponeretur, timendum sane esset, ne ea vel paucorum commodis serviret, vel ab aliquâ staret natione; atque propterea ipsius actionis vis et efficacia in discrimine versaretur. Licet enim nationes valdê inter se discrepant bonorum externorum incremento armorumque apparatu, tamen summo studio tuentur iuris aequalitatem suaque vivendi disciplinae praestantiam. Quare non immerito civitates aegrê potestati subsunt, aut quae ipsis vi iniungatur, aut a quâ condendâ afuerint, aut quam suâ sponte non sint amplexae.

Salus communis et iura personae

73. Ut de singularum civitatum communi bono, ita de generalibus omnium civitatum utilitatibus iudicari non potest, nisi ratione habitâ humanae personae; quapropter publica universalisque auctoritas eo maximê spectare debet, ut humanae personae iura agnoscantur, in debito habeantur honore, innoxia serventur, in re augeantur; quod efficere potest vel ipsa per se, si res ferat, vel in universo terrarum orbe rerum condicionibus institutis, quibus iuvantibus singularum civitatum principes sua possint commodius munera sustinere.

Ratio subsidiaritatis

74. Ad haec, sicut in singulis civitatibus rationes, quae publicae auctoritati sunt cum civibus, familiis, interpositisque societatibus, regi ac temperari opus est subsidiarii officii principio: eodem aequum est necessitudines componi, quibus publica auctoritas universalis cum publicis auctoritatibus singularum nationum continetur. Nempe proprium huius auctoritatis universalis est quaestiones perpendere ac dirimere, quae boni communis universalisque causâ existant, et vel res oeconomicas, sociales, politicas attingant, vel ingenii cultum; quaestiones, dicimus, quae, cum summae sint gravitatis, latissimê pateant, atque acriter urgeant, difficiliores sunt habendae quam ut a moderatoribus singularum civitatum feliciter expediantur.

Scilicet eiusdem auctoritatis universalis non est neque coercere, neque ad se revocare acta, quae sunt publicae potestatis propria aliarum civitatum. Ex contrario ea contendat opus est, ut in toto terrarum orbe eiusmodi rerum status condatur, in quo non solum publica cuiusque nationis potestas, sed etiam singuli homines et interpositi coetus possint tutius sua munera obire, sua praestare officia, sua iura vindicare. ([55](#))

Foederatarum Nationum Consilium fovendum et augendum

75. Ut sciunt omnes, die 26 mensis lunii anno 1945 conditum est Foederatarum Nationum Consilium – compendiariis litteris ONU distinctum – cui subinde adiecta sunt minora Consilia, ex membris constantia publicâ variarum nationum auctoritate nominatis, quibus magni momenti

munera delata sunt, ubique terrarum in provinciis explenda, quae ad rem oeconomicam et socialem, ad ingenii cultum, ad educationem et ad publicam valetudinem pertinent. At Foederatarum Nationum Consilio id maximē propositum est, ut populorum pacem tueatur atque confirmet, utque inter eos amicitiae necessitudines iuvet ac foveat, in principiis sitas aequalitatis, mutuae observantiae ac multiplicis conspirationis in omnibus humanae industriae campis.

Cuius Consilii providentiae perspicuo est argumento Professio Universalis iurium humanorum, die 10 mensis Decembris anno 1948 a Foederatarum Nationum Coetu generali rata habita. In cuius exordio Professionis asseveratur, illud potissimum populis ac nationibus universis esse expetendum, ut iura omnia libertatisque formae, in Professione descripta, reapse agnoscantur et innoxia serventur.

Nos sane non praeterit, quaedam Professionis huius capita minus probanda nonnullis visa esse; neque id immerito. Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quandam quasi gradum atque aditum ad iuridicalem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea universis prorsus hominibus sollemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuvis homini asseruntur veritatem liberē exquirendi, honestatis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta.

Illud igitur expetimus vehementer, ut Foederatarum Nationum Consilium magis atque magis valeat formam atque idonea instrumenta sua ad munera suorum amplitudinem nobilitatemque accommodare. Utinam quam primum tempus adveniat, quo Consilium hoc humanae personae iura efficienter tueri possit: iura dicimus, quae, cum ab humanae personae dignitate proximē orientur, hanc ob causam universalia, inviolabilia atque incommutabilia sunt; eo vel magis, quod, cum hodie homines in suā cuiusque natione publicae rei magis in dies participes sint, actuosiore usque studio res omnium populorum prosequuntur, atque plus plusque sibi sunt concii, ad universam hominum familiam se, ut membra viva, pertinere.

V. PRAECEPTA PASTORALIA

Officium administrationis rei publicae administrandaे

76. Hōc loco filios Nostros iterum adhortamur, ut in partem rei publicae administrandaē alacriter veniant, utque sociam navent operam ad totius humani generis et suaē cuiusque civitatis commoda provehenda. Neque minus iidem, christianā luce collustrati caritateque ducti, contendant opus est, ut instituta sive ad res oeconomicas, sive ad res sociales sive ad doctrinas civilemque cultum pertinentia adeo homines non impedian, ut etiam adiuvent ad se meliores faciendos, in ordine cum rerum naturalium, tum rerum, quae supra naturam sunt.

Scientia specialis, peritia technica, experientia professionalis

77. Tamen nihilo minus ad civilem cultum rectis normis christianisque principiis imbuendum, satis non est filios Nostros caelesti fidei lumine frui atque boni provehendi ardore permoveri; quin etiam requiritur, ut ipsius civilis cultūs institutis se interserant efficacique actione eadem intus attingant. Verum, cum praesens humanae civilisque vitae cultus maximē doctrinis et technicorum inventis conspicuus sit, nemo sanē potest se publicis institutis insinuare, nisi sit scientiā ac doctrinā peritus, sit ad technicorum artes idoneus, sit denique professionis suaē exercendae expertus.

Agendum esse scientiis et technica et animi bonis inter se coniunctis

78. Quae tamen omnia nullo pacto sufficere existimanda sunt, ut cotidianae vitae necessitudines ad humaniorem usum conformentur; qui utique veritate innitatur necesse est, iustitiā temperetur, vim suam a mutuā hominum caritate capiat, libertatis consuetudinem teneat.

Ad quorum consiliorum effectum ut re verâ homines perveniant, iisdem diligentissimê elaborandum est, ut primum in huius vitae rebus efficiendis lêges servent, uniuscuiusque rei proprias, normasque retineant, uniuscuiusque naturae convenientes; ut deinde suas ipsorum actiones ad morum pracepta conforment, atque idcirco ita se gerant, perinde ac si vel ius suum exerceant vel officium praestent. Quin et illud ratio flagitat, ut homines quasi Dei providis consiliis mandatisque, ad nostram salutem spectantibus, obtemperantes, animique conscientiam non praetermittentes, ita in vitae actione se habeant, ut res ad scientias, ad technicorum artes, atque ad profesiones suas attinentes, cum praecipuis animi bonis omnino coniungant.

Agendi ratio cum fide christianâ cohaereat

79. Est hoc etiam in confesso, in civitatibus nempe, christianâ doctrinâ antiquitus excultis, civilia instituta in praesenti florere quidem scientiarum artiumque progressionibus, et instrumentis abundare ad quaelibet proposita assequenda idoneis, sed saepe christianis veluti incitamentis et afflatu tenuiter imbui.

Quomodo autem id fieri potuerit iure merito quaeritur, cum ad illiusmodi lêges instituendas operam haud exiguum contulerint et conferre pergam, qui christianum profiteantur nomen ac re verâ vitam suam saltem ex parte ad evangelicas normas conforment. Cuius rei causam ex eo proficisci putamus, quod ipsorum agendi ratio cum suâ fide non cohaereat. Par ergo est ut mentis animique unitas ita in iis reficiatur, ut in eorum actionibus fidei lumen amorisque vis simul dominantur.

Aequa operam dent religiosis rebus cognoscendis atque externis

80. Quod in christifidelibus religiosa fides ab agendi ratione saepe saepius dissidet, id ex hôc etiam oriri censemus, quod iidem christianis moribus christianaequa doctrinae institutione haud satis sunt exculti. Contingit enim nimium saepe plurimisque locis, ut non aequâ religiosis rebus cognoscendis atque externis iidem operam dent, atque, cum studia scientiarum ad summum perducant, circa vero religiosam institutionem, elementa communiter non excedant. Cogit igitur necessitas, ut adulescentium institutio sit plena, sit continua, sit talibus modis tradita ut religiosarum rerum cultus animique probitas aequis passibus procedant unâ cum scientiarum cognitione et cum cotidie progredientibus technicorum artibus. Praeterea adulescentes instituantur oportet ad sua cuiusque munera aptâ sustinenda. ([56](#))

Sit animus semper promptus ad agendum

81. Sed tamen hac in re opportunê monere iuvat, quantopere sit arduum satis rectê intellegere quid re ipsâ inter humanos eventûs et iustitiae rationes intersit, hoc est probê circumscribere, quibus gradibus quibusve formis principia doctrinae et monita sint ad praesentem humani convictû statum componenda.

Atque eo difficilius est gradûs et formas huius generis definire, quo aetas haec nostra, in quâ quisque debet operam suam ad commune bonum universale ponere, celeriore agendi impetu incitatur. Quam ob causam, cum cotidie videndum sit quemadmodum res sociales ad iustitiae rationes sint congruentius accommodandae, tum vero est cur filii Nostri non opinentur, se cessatione posse consistere, et in habitu acquiescere itinere.

Immo enimvero omnes homines decet iudicare ea, quae ad hoc usque tempus a se facta sint, non esse ad necessitatem satis, atque adeo sibi esse in dies maiora et aptiora incepta suscipienda, quod attinet ad societas bonis gignendis, ad corporatorum hominum collegia, ad coetûs civium artes profitentium, ad publicas rationes civium securitati procurandae, ad instituta ingenii cultui provehendo, ad iuris disciplinam, ad rei publicae formam, ad valetudinis auxilia, ad exercitationes ludicas, postremo ad huius generis cetera. Haec namque omnia aetas nostra desiderat, quâ homines, post individua corpora inventa, caelique spatia perrupta, vias rimantur novas ad infinita prope spectantes.

Inter catholicos et non-catholicos quales sint necessitudines oeconomicae, sociales, politicae

82. Quae ad hunc locum principia in medio posuimus, tum ex ipsâ rerum naturâ, tum persaepe ex ordine iurium naturalium initium capiunt. Quâ de re in huiusmodi principiis efficiendis contingit crebro, ut catholici homines operam multimodis socient vel cum christianis ab hac Apostolicâ Sede seiunctis, vel cum hominibus christianaे quidem fidei omnino expertibus, sed rationis participibus et naturali morum integritate ornatis. «Quod cum evenit, ii qui catholicum profitentur nomen, maximopere prospiciant, ut sibimetipsis semper constant, neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat. Pariter tamen se tales praebeant, qui et aliorum sententiam aequâ perpendant benignitate, et omnia ad utilitates suas non referant, et parati sint ad ea cum fide coniunctisque viribus effienda, quae vel suâpte naturâ sint bona vel ad bonum conducibilia». (57)

83. Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est, quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis, aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra, vel ad optimam vitae actionem attinentium. Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit, cuius nempe ratio est semper habenda. Praeterea in hominis naturâ numquam facultas perit et refragandi erroribus, et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel fidei perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti. Etenim si catholici homines, rerum externarum causâ, cum hominibus consuetudinem iungant, qui vel nullo modo vel non rectê in Christum credant, quia in errore versantur, tum vero illi sive occasionem sive incitamentum his dare possunt, ut ad veritatem traducantur.

84. Inde deinceps par omnino est, a falsis philosophorum placitis de naturâ, de origine, de fine mundi et hominis planê incepta distinguere, quae sive res oeconomicas et sociales, sive ingenii cultum, sive civitatis temperationem contingunt, etiamsi incepta hoc genus ab illis placitis originem et incitamentum ducant; quoniam, dum formula disciplinae, postquam definitê descripta est, iam non mutatur, incepta illa utpote quae in mutabilibus rerum condicionibus versentur, his non possunt quin sint admodum sanâ obnoxia. De reliquo quis eat infitias, in hisce inceptis, quatenus videlicet cum rectae rationis praeceptis congruant, et iustas hominis appetitiones referant, posse aliquid boni et probandi inesse?

85. Has ob causas cadere aliquando potest, ut quae congressiones de rerum usu antehac ad nullam partem utiles visae sint, nunc vero fructuosae aut iam re verâ sint, aut futurae prospiciantur. Sed diiudicare utrum eo perventum sit necne, praetereaque statuere quibus modis quibusve gradibus sint coniunctim querendae veri nominis utilitates in regione vel rerum oeconomicarum et socialium, vel doctrinarum vel publicae administrationis, haec omnia una docere potest prudentia, virtutum cunctarum moderatrix, quibus cum singulorum, tum consociatorum hominum vita regitur. Quare si res catholicorum hominum agitur, de huius exempli causis decernere ad eos viros potissimum pertinet, qui in civium communitate inque harum rerum provinciâ primas agunt; dummodo tamen praeterquam principia iuris naturalis servent, doctrinae etiam de rebus socialibus, quam tradit Ecclesia, obsequantur, auctoritatumque ecclesiasticarum monitis pareant. Neminem enim praetereat oportet, Ecclesiae ius itemque officium esse, non solum fidei morumque doctrinam tutari, sed etiam auctoritatem suam apud filios suos in regione rerum externarum interponere, cum diiudicare opus est quomodo doctrina eadem sit ad effectum adducenda. (58)

Omnia crescere gradatim

86. Re ipsâ non desunt qui, utpote magnitudine animi ornati, cum sibi rerum adiuncta occurrant vel parum vel nullo modo cum iustitiae rationibus convenientia, tum et omnia instaurandi studio flagent, et ad id tali ferantur impetu, qui rerum publicarum quaedam quasi conversio videatur.

Quibus illud esse in promptu velimus, ex naturae necessitate omnia crescere gradatim, atque idcirco in humanis institutis nihil posse ad melius perduci, nisi pedetemptim ab interiore parte agatur. Quod idem Decessor Noster fel. rec. [Pius XII](#) monet his verbis usurpati: «Iamnon in veteris disciplinae perturbatione, sed in bene constitutâ rerum progressionе salus atque iustitia sitae sunt. Etenim animi effrenatio omnia semper destruxit, nihil aedificavit; cupiditates incendit, numquam sedavit. Ea denique, cum nonnisi odia ruinasque serat, tantum abest ut altercatores inter se conciliet, ut magis homines politicasque factiones cogat supra parietinas, discordiâ partas, pristinum opus summo labore restituere». ([59](#))

Ingens munus

87. Cum gravissimis igitur magnanimorum virorum muneribus illud maximē coniungi putandum est, ut, veritate, iustitiâ, caritate, libertate magistris ac ducibus, novas iidem necessitudinum rationes in hominum societate constituant: hoc est tum singulorum civium inter sese; deinde inter cives et civitates suas; tum civitatum inter se; tum denique hinc inter singulares homines, familias, interposita corpora, singulas civitates, illinc universorum hominum communitatem. Quod profecto munus nemo praeclarissimum non censuerit, quippe quo vera pax, iuxta ordinem a Deo statutum, coalescere possit.

88. Ad hos ergo viros, nimis certē pro necessitate paucos, sed de hominum consortione mirificē meritos, dignum est a Nobis pertinere publicam laudem, simul invitationem ad urgendum propositum salutiferum. At per idem tempus in spem inducimur, fore ut ad hos viros alii multi, praesertim e christifidelibus, officii conscientiâ et caritate incitantibus, accedant. Quicumque enim Christo nomen dederunt, eos admodum decet in hac hominum congregatiōne, et lucis veluti scintillas, et amoris quasi alimenta, et totius tamquam fermentum multitudinis fieri; quod eo magis eveniet, quo cuiusque animus artius cum Deo coniungetur.

Nam nulla sanē pax, in hominum universitate insidet, nisi in uniuscuiusque hominis animo ea insederit: nisi videlicet quisque in semetipso ordinem servaverit, quem Deus servari iussit. Quā de re ita S. Augustinus hominem rogat: «Vult autem mens tua idonea esse vincere libidines tuas? Subdatur maiori et vincet inferiorem: et erit pax in te: vera, certa, ordinatissima. Qui est ordo pacis huius? Deus imperat menti: mens carni: nihil ordinatus». ([60](#))

Princeps Pacis

89. Nimirum igitur quae hactenus de quaestionibus docuimus, hominum societatem tantopere in praesentiâ sollicitantibus, cumque humanae communitatis profectibus quam maximē coniunctis, ea utique in animum Nostrum acerrima illa desideratio iniecit, quā omnes homines flagrare constat, quotquot bonâ voluntate ornantur: pacem nempe hisce in terris confirmari.

Quippe qui - licet muneri impares eius vicariâ potestate fungamur, quem nuntius ille, praesagientis animi divinatione, «Principem pacis» appellavit (cf. Is 9,6), Nostrarum esse partium ducimus cogitationes, curas, viresque Nostras huic communi omnium bono provehendo dicare. Attamen pax inane verbum est, nisi in eâ rerum compositione vertitur, quam omni quidem spe commoti Nostris hisce Litteris Encyclicis quasi primis lineis adumbravimus: compositionem dicimus in veritate positam, ad iustitiae praecepta constitutam, caritate altam et expletam, libertate postremo auspice effectam.

Quae quidem res tam magnifica tamque excelsa est existimanda, ut eam homo, etsi bonâ laudeque dignâ voluntate praeditus, si suis dumtaxat viribus elaboret, ad exitum ullo modo perducere nequeat. Scilicet ut hominum societas regnum Dei quantâ maximâ potest similitudine referat, ipsius caelestis Numinis auxilio vehementer est opus.

90. Rerum igitur ordo ipse poscit, ut per sacros hos dies, supplices illi admoveamus preces, qui suis acerbissimis cruciatibus suâque morte non modo peccata diluit, fontem et caput discidiorum, miseriarum, inaequalitatum, verum etiam suo profuso sanguine hominum genus cum caelesti Patre suo in gratiam reduxit, pacis muneribus impertitis: «Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque

unum. ... Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longē fuitis, et pacem iis qui prope» (*Eph* 2,14-17).

Atque in sacris horum dierum ritibus idem resonat nuntius: «Surgens Jesus Dominus Noster, stans in medio discipulorum suorum dixit: «Pax vobis, alleluia: gavisi sunt discipuli viso Domino». (61) Itaque pacem nobis Christus attulit pacem reliquit: «Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis» (*Io* 14,27).

91. Hanc ergo pacem a divino Redemptore nobis allatam, ab ipso summis precibus petamus. Abstergeat ille ab hominum animis quidquid pacem labefactare potest, omnesque in veritatis, iustitiae fraternaeque caritatis testes fingat. Suo praeterea lumine eorum qui populis praesunt mentes collustret, ut unā cum dignis prosperitatibus, civibus pulcherrimum pacis donum tutum praestent. Ad ultimum, omnium hominum voluntates Christus incendat ad repagula perfringenda, quibus alii distineantur ab aliis, ad caritatis mutuae confirmando vincula, ad alias intellegendos, ad ignoscendum denique iis qui iniuriam intulerint. Ita nimur ut, eo auctore et auspice, populi omnes inter se fraternali more complectantur, in iisque semper floreat semperque dominetur optatissima pax.

Extremum id ominantes, Venerabiles Fratres, ut eiusmodi pax ad greges prorepat vobis commissos, per commodum maximē tenuissimorum hominum, qui peculiari egeant adiumento et tutelā, Apostolicam Benedictionem vobismetipsis, sacerdotibus ex utroque clero, religiosis viris virginibusque Deo devotis, et christifidelibus omnibus, sed iis nominatim, qui Nostris hisce hortationibus magno animo parebunt, peramanter in Domino impertimus. Universis vero bonae voluntatis hominibus, ad quos etiam hae Litterae Nostrae Encyclicae pertinent, salutem et prosperitatem a summo Deo imploramus.

Datum Romae, apud S. Petrum, in Cenâ D.N.I.C., die 11 mensis Aprilis anno 1963, Pontificatū Nostri quinto.

IOANNES PP. XXIII

(1) IOANNES PP. XXIII, Litt. enc. *Pacem in terris de pace omnium gentium in veritate, iustitia, caritate, libertate constituenda*, [Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primitibus, Archiepiscopis, Episcopis aliquis locorum Ordinaris pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus, clero et christifidelibus totius orbis itemque universis bona voluntatis hominibus], 11 Aprilis 1963: AAS 55(1963), pp. 257-304. Versione italiana: L'Osservatore romano, 11 aprile 1963; La Civiltà cattolica, 114(1963), II, 105ss.

Introduzione: L'ordine nell'universo; l'ordine negli esseri umani. – Parte I: L'ordine tra gli esseri umani: Ogni essere umano è persona, soggetto di diritti e di doveri (1). Diritti: diritto all'esistenza e a un tenore di vita dignitoso; diritti riguardanti i valori morali e culturali; diritto di onorare Dio secondo il dettame della retta coscienza; diritto alla libertà nella scelta dello stato di vita; diritti attinenti il mondo economico; diritti di riunione e di associazione, di emigrazione e immigrazione; diritti a contenuto politico. 2. Doveri: indissolubile rapporto fra diritti e doveri nella stessa persona; reciprocità di diritti e di doveri fra persone diverse, nella mutua collaborazione, in atteggiamento di responsabilità; convivenza nella verità, nella giustizia, nell'amore, nella libertà; ordine morale che ha per fondamento oggettivo il vero Dio. Segni dei tempi. – Parte II: Rapporti tra gli esseri umani e i poteri pubblici all'interno delle singole comunità politiche (necessità dell'autorità e sua origine divina; l'attuazione del bene comune e la ragion d'essere dei poteri pubblici; aspetti fondamentali del bene comune; compiti dei poteri pubblici e diritti e doveri della persona; armonica composizione ed efficace tutela dei diritti e dei doveri della persona; dovere di promuovere i diritti della persona; equilibrio fra le due forme d'intervento dei poteri pubblici; struttura e funzionamento dei poteri pubblici; ordinamento giuridico e coscienza morale; la partecipazione dei cittadini alla vita pubblica). Segni dei tempi. – Parte III: Rapporti fra le comunità politiche (soggetti di diritti e doveri, nella verità, secondo giustizia; il trattamento delle minoranze; solidarietà operante; equilibrio tra popolazione, terra e capitali; il problema dei profughi politici; disarmo; nella libertà; l'ascesa delle comunità politiche in fase di sviluppo economico). Segni dei tempi. – Parte IV: Rapporti degli esseri umani e delle comunità politiche con la comunità mondiale (interdipendenza tra le comunità politiche; insufficienza dell'attuale organizzazione dell'autorità pubblica nei confronti del bene comune universale; rapporto fra contenuti storici del bene comune e struttura e funzionamenti dei poteri pubblici; poteri pubblici istituiti di comune accordo e non imposti con la forza; il bene comune universale e i diritti della persona; il principio di sussidiarietà). Segni dei tempi. – Parte V: Richiami pastorali (dovere di partecipazione alla vita pubblica; competenza scientifica, capacità tecnica, esperienza professionale; l'azione come sintesi di elementi scientifico-tecnico-professionali e di valori spirituali; ricomposizione unitaria nei credenti tra fede religiosa e attività a contenuto temporale; sviluppo integrale degli esseri umani in formazione; impegno costante; rapporti fra cattolici e non cattolici in campo economico-sociale-politico; gradualità; compito immenso; il Principe della pace).

(2) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), pp. 9-24; IOANNES XXIII, Sermo, 4 Ian. 1963: AAS 55 (1963), pp. 89-91.

(3) Cf. Pius XI, Litt. enc. *Divini Redemptoris*: AAS 29(1937), p. 78; EE 5/1223; Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus in festo Pentecostes, die 1 mensis Iunii anno 1941: AAS 33(1941), pp. 195-205; EE 6/app.

(4) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), pp. 9-24.

(5) *Divinae Institutiones*, 1. IV, c. 28, 2: PL 6, 535.

(6) Litt. enc. *Libertas praestantissimum*: Acta Leonis XIII, VIII, 1888, pp. 237-238; EE 3.

(7) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), pp. 9-24.

(8) Cf. Pius XI, Litt. enc. *Casti connubii*: AAS 22(1930), pp. 539-592; EE 5/447-582; Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), pp. 9-24.

(9) Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus in festo Pentecostes, die 1 mensis iunii anno 1941: AAS 33(1941), p. 201; EE 6/app.

(10) Cf. LEO XIII, Litt. enc. *Rerum novarum*: Acta Leonis XIII, XI, 1891, pp. 128-129; EE 3.

(11) Cf. IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), p. 422; EE 7/304.

(12) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus in festo Pentecostes, die 1 mensis iunii anno 1941: AAS 33(1941), p. 201; EE 6/app.

(13) Cf. IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), p. 428; EE 7/333.

(14) Cf. Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), p. 430; EE 7/341.

- (15) Cf. LEO XIII, Litt. enc. *Rerum novarum*: Acta Leonis XIII, XI, 1891, pp. 134-142; EE 3; Pius XI, Litt. enc. *Quadragesimo anno*: AAS 23 (1931), pp. 199-200; EE 5/646-651; Pius XII, Epist. enc. *Seruum laetitiae*: AAS 31 (1939 pp. 635-644; EE 6/85-101.
- (16) Cf. AAS 53(1961), p. 430; EE 7/341.
- (17) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1952: AAS 45(1953), pp. 33-46.
- (18) Cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1944: AAS 37(1945), p. 12.
- (19) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), p. 21.
- (20) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), p. 14.
- (21) Summa theol., I-II, q. 19, a. 4; cf. a. 9.
- (22) In Epist. ad Rom. c. 13, vv. 1-2, homil. XXIII: PG 60, 615.
- (23) LEO XIII, Epist. enc. *Immortale Dei*: Acta Leonis XIII, V, 1885, p. 120; EE 3.
- (24) Cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1944: AAS 37(1945), p. 15.
- (25) Cf. LEO XIII, Epist. enc. *Diuturnum illud*: Acta Leonis XIII, II, 18801881, p. 274; EE 3.
- (26) Cf. LEO XIII, Epist. enc. *Diuturnum illud*: Acta Leonis XIII, II, 18801881, p. 278; EE 3; Epist. enc. *Immortale Dei*: Acta Leonis XIII, V, 1885, p. 130; EE 3.
- (27) Summa theol., I-II, q. 93, a. 3 ad 2um; cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1944: AAS 37(1945), pp. 5-23.
- (28) Cf. LEO XIII, Epist. enc. *Diuturnum illud*: Acta Leonis XIII, II, 18801881, pp. 271-272; EE 3; Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1944: AAS 37(1945), pp. 5-23.
- (29) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), p. 13; LEO XIII, Epist. enc. *Immortale Dei*: Acta Leonis XIII, V, 1885, p. 120; EE 3.
- (30) Cf. Pius XII, Litt. enc. *Summi pontificatus*: AAS 31(1939), pp. 413-453; EE 6/1-84.
- (31) Cf. Pius XI, Litt. enc. Mit brennender Sorge: AAS 29(1937), p. 159; EE 5/1178; Litt. enc. *Divini Redemptoris*: AAS 29(1937), pp. 65-106; EE 5/11971280.
- (32) LEO XIII, Epist. enc. *Immortale Dei*: Acta Leonis XIII, V, 1885, p. 121; EE 3.
- (33) Cf. LEO XIII, Litt. enc. *Rerum novarum*: Acta Leonis XIII, XI, 1891, pp. 133-134; EE 3.
- (34) Cf. Pius XII, Litt. enc. *Summi pontificatus*: AAS 31(1939), p. 433; EE 6/44.
- (35) Cf. AAS 53(1961), p. 417; EE 7/286.
- (36) Cf. Pius XI, Litt. enc. *Quadragesimo anno*: AAS 23(1931), p. 215; EE 5/700.
- (37) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus in festo Pentecostes, die 1 mensis iunii anno 1941: AAS 33(1941), p. 200; EE 6/app.
- (38) Cf. Pius XI, Litt. enc. Mit brennender Sorge: AAS 29(1937), p. 159; EE 5/1178; Litt. enc. *Divini Redemptoris*: AAS 29(1937), p. 79; EE 5/1226; cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35 (1943), pp. 9-24.
- (39) Cf. Litt. enc. *Divini Redemptoris*: AAS 29(1937), p. 81; EE 5/1228; cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), pp. 9-24.
- (40) IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), p. 415; EE 7/276.
- (41) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AA S 35(1943), p. 21.
- (42) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1944: AAS 37(1945), pp. 15-16.
- (43) Cf. Pius XII, Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1942: AAS 35(1943), p. 12.
- (44) Cf. LEO XIII, Epist. apost. Annum ingressi: Acta Leonis XIII, XXII, 1902-1903, pp. 52-80.
- (45) Cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1941: AAS 34(1942), p. 16.
- (46) Cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1940: AAS 33(1941), pp. 5-14.
- (47) De civitate Dei, I, IV, c. 4: PL 41, 115; cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1939: AAS 32(1940), pp. 5-13.
- (48) Cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1941: AAS 34(1942), pp. 10-21.
- (49) Cf. IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), p. 439; EE 7/374-376.
- (50) Cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1941: AAS 34(1942), p. 17; BENEDICTUS XV, Adhortatio ad moderatores populorum belligerantium, 1 aug. 1917: AAS 9(1917), p. 418.
- (51) Cf. Nuntius radiophonicus, 24 aug. 1939: AAS 31(1939), p. 334.
- (52) AAS 53(1961), pp. 440-441; EE 7/378-384.
- (53) Cf. Nuntius radiophonicus, datus pridie Nativ. D.N.I.C. anno 1941: AAS 34(1942), pp. 16-17.
- (54) IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), p. 443; EE 7/394.
- (55) Cf. Pius XII, Allocutio ad iuvenes ab Actione Catholica ex Italiae dioecesis Romae coadunatos, 12 sept. 1948: AAS 40(1948), p. 412.
- (56) Cf. IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), p. 454; EE 7/442ss.
- (57) Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), pp. 456-457; EE 7/457.
- (58) IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*: AAS 53(1961), pp. 456-457; EE 7/457; cf. LEO XIII, Epist. enc. *Immortale Dei*: Acta Leonis XIII, V, 1885, p. 128; EE 3; Pius XI, Litt. enc. *Ubi arcana*: AAS 14(1922), p. 698; EE 5/57s; Pius XII, Allocutio ad Delegatas Unionis Internationalis Sodalitatum mulierum catholicarum ob communem Conventum Romae coadunatas, 11 sept. 1947: AAS 39(1947), p. 486.
- (59) Cf. Allocutio ad opifices ex Italiae dioecesis Romae coadunatos, habita in festo Pentecostes, die 13 mensis iunii anno 1943: AAS 35(1943), p. 175.
- (60) Miscellanea Augustiniana ... S. Augustini Sermones post Maurinos reperti, Roma 1930, p. 633.
- (61) Resp. ad Mat., in feria VI infra oct. Paschae.

ARS ABSTRACTA

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

ars abstracta

530

abstrakte Kunst – abstract art – art abstract – arte abstracto – arte astratta

Ars *abstracta* dicitur id genus artis figurativae, quod plus minusve absolutum et remotum est a naturâ rebusque realibus. Figmenta istius artis quid valeant et quid sibi velint saepe aut difficillimè aut omnino non intellegitur. Sed raro sunt spectatores tam sinceri ut confiteantur se non intellegere, qualis idea et sensus subsit artificio abstracto; nam quis vult dici barbarus et banausus parum eruditus et artis subtilissimae ignorantissimus? At nemo est, quin facile intellegat istud genus artis figurativae aenigmaticum exortum esse arte photographiae technicâ naturam rerum etiam etiamque subtilius et exactius et fidelius et perfectius reddente et illustrante. Concreta quia apparatu technico potuerunt exhiberi, artifices se converterunt ad exhibenda abstracta. Quod attinet ad indolem et facultates *Pauli Picasso* Hispani (1881-1973) unius ex artis abstractae pictoribus illustrissimis et celebratissimis, *Thomas Wolfe*, Americanus diurnarius et auctor fabularum romanicarum necnon artis figurativae architecturaeque criticus (1930-2018), sibi non temperavit, quin iudicium ferret audax severumque: Picasso nulâ aliâ causâ ab arte concretâ ad abstractam se convertisse, nisi quia scaevior fuisset, quam ut concreta pingens recte observaret proportiones *perspectivas*. En istum calumniatorem modernae artis elegantissimae... Thomam istum incredulissimum... nefas esto!

Ansgarius Osloensis artis figurativae peritissimus a me interrogatus scribit haec (epistula s.25. m.Mart.):

»...Non prorsus in errore versatur *Thomas Wolfe*, Picasso procul dubio magis nugator quam pictor fuit. Nihilo secius elementa artis picturae conspecta habuit. - Si bene artem figurativam (occidentalem) intellexi, pictores mediaevales, aetatis renatarum artium, aevi baroci (de artificibus antiquitatis perpaucis cognovimus) non simulacra rerum naturae finixerunt, sed coniunctionem mentis et cum rebus externis, et cum spiritualibus. Ars igitur figurativa non est repraesentatio realitatis, sed repraesentatio perceptionis realitatis. Imagines pictae aevi medii Sanctae Virginis Mariae non effingunt mulierculam quandam bene moratam, vero amorem animae erga Deum. Attamen, iam saeculo duodevicesimo, in Europa notio rerum spiritualium iuxta cum fide christiana gradatim evanuit, ut homines picturam non intelligerent nisi ut repraesentationem rerum naturae. Saeculo undevicesimo progrediente, Lutetiae parisiorum, iam fuerunt critici qui dicenter artem pictoram extinctam esse, cum machinulis photographicis res externae multum acuratius depingerentur! De his rebus multa dicenda sunt, sed ne quam aequo prolixius bullas nugatas effutiam, tantum unum exemplum afferam, non artis sacrae, sed pictoris saecularis ET spiritualis. Ecce imago quae inscribitur concensus campestris, ab Titiano confecta.



Hac in pictura videmus duos homines, cultores artium bonarum, in loco amoeno versantes, alterum musicum, qui lutana canit, alterum poetam, qui voce canit. Etiam licet admirari duas virgunculas denudatas miraque specie, quae quoque, ni oculis fallimur, in hoc campo romano aut tusco ambulantur. Attamen, mirabile dictu, nec musicus, nec poeta ullam earum rationem habent! cur? Hae puellae candidae musae sunt, sine dubio Euterpe, tibia recta canens, et Erato, e fonte Castaliae aquam haurians, quae non nisi oculis mentis musici pariter ac poetae obversantur. Hic igitur contemplamur coniunctionem animi cum artibus. Pictor etiam lepide significavit nexus artium bonarum et cupiditatis venereae. Nullo modo haec pictura est descriptio vitae rusticae et morum puellarum venetarum. Haec breviter et congeste!...«

Naevius Sartorius photographiae fervidē deditus mirandāque sollertiā photographandi praeditus *de arte abstractā* deque Paulo Picassone a me rogatus respondit haec quae sequuntur (d.25. m.Mart.a.2023):

»*De Picassone et de eius operibus haud multa scio; cur surrealismum et cubismum prætulerit, nescio; itaque nec assentiri illi Wolfe nec dissentire ab eo possum. E.g. illa pictura "Guernica" toto orbe terrarum nota est; semper magnopere laudatur; tamen modus pingendi mihi non placet; dicam illum modum "distorquens". Quid prodest? Certe: eo modo horror belli optime demonstratur. Terrorem aeroplanis Germanis notoriae legionis "Condor" civibus illius urbis allatam spectator quicunque animadvertere potest. Sed quid illud genus pingendi in rationibus aliis artis prodest? Praefero genus pingendi naturalisticum - quamobrem diligo picturam Batavam; amo etiam illum Klimt, artificem ingeniosum aetatis "art nouveau". Species hanc picturam illius Matthias Stom: <https://c8.alamy.com/compde/txghc0/gemalde-mit-dem-titel-eine-alte-frau-und-ein-junge-bei-kerzenschein-von-matthias-stom-1600-1652-holländisches-goldenes-alter-maler-vom-17-jahrhundert-txghc0.jpg> Etiam species illam picturam Klimt: <https://www.artgalerie.de/wandbilder-motiv/menschen/frau/gustav-klimt-dame-mit-hut-und-federboa/a-1143629> Summo ingenio pinxit ille Austriacus feminam quandam rufam cutis subtilissimae; pinxit etiam eius supercilia summae dulcedinis, elegantissime figurata. Etiam amo modum quo pinxit lucem nocturnam coloresque noctis. Quid sentis? Tune amas Picassonem? Placetne Klimt?...«*



De arte abstracta quid sentiat, mihi d.31. m.Mart. a.2023 mihi scripsit **Guglielmus Monetti** haec quae sequuntur: “*De symbola super arte abstracta quid dicam, nisi quod mihi candor tuus et gratissimus et acceptissimus fuit? Unum habeo quod addam: Picassum ferunt hoc ferme dixisse, se iam inde a puero optimo cuique Renatarum Artium pictori parem, totam vitam enisum ut illam artem dedisceret. Ita factum, ut senex tandem posset velut puer penicillum tractare. Quod et ubi dixerit, locum referre non possum, et utrum verum fuerit, nescio. Sed cave ne lapides in te voces lapidantium, si contra deum illum dixeris.*”

Marcus Cristini Brixianus mihi haec scripsit de arte figurativa:

“*Quod ad artem figurativam attinet, fateor me perpaucia scire... Et ego artem abstractam parvi facio, cum cuivis picturae sensus motusque animi innumerabiles attribuere possis et nemo sit qui mente statim comprehendat, quid ea sibi velit. Quis autem neget imagines pictas et statuas abstractas speculum esse aevi nostri moderni, immo post-moderni, quo veritas latitare videtur et veritatum multifaria copia ubique invenitur? Ut scripsit sanctus Augustinus, nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora (Sermo 80.8). Glossam addo: nos sumus et artes: quales sumus, tales sunt artes...“*

ARGENTINA

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

Argentīna, -ae f.

55,876

Argentinien – Argentina – Argentine – Argentina – Argentina



Argentina est res publica in meridie Americae Meridionalis sita. Quae in occidente affinis est **Chilieae**, in septentrione **Boliviae** et **Paraquariae**, in boreo-oriente **Brasiliæ** et **Uruquariae** et in oriente limitatur **Oceano Atlantico**.



Nomen huius terrae, quod derivatum est a nomine metalli **argenti** Latino, exortum est aetate hispanicí colonialismi, quā conqueritores Hispani sperabant se posse hac in terrā invenire quam plurima metalla nobilia. Usque dum independentiam sui assecuta est (a. 1816), Argentina fuerat pars Imperii Hispanicí colonialis. Ratione politicā Argentina est res publica foederalis praesidentialis, in quā singulæ provinciae habent magnam auctoritatem. Secundum constitutionem Argentinae praeter nomen *Rei publicae Argentinae* etiam valent *Provinciae Unitae Rio de la Plata* et *Confoederatio Argentina* nomina Argentinae officialia.

Argentina habet aream 2,8 ferē millones km² (chiliometrorum quadraticorum) et est totius orbis terrarum civitas octava a maximā et secunda a maximā terrae continentis austro-americanae et quarta a maximā americanæ continentis duplicitis. Quia per magnam distantiam a septentrione ad meridiem pertingit, Argentina particeps est complurium zonarum climatis et vegetationis. Argentina habet circiter 45 millones incolarum ideoque quoad populositatem in Americā australi tertia civitas a maximā est (post Brasiliam et Columbiā) et in totā Americā quinta a maximā. Tertia ferē pars populi Argentinae concentrata est in agglomeratione **Bonaeropolis** urbis principalis, quae multum valet ad cultum civilem Americae; cum cetera tum praecipue **tango saltatio Argentina** hac in urbe exorta est.



Aliae agglomerationes sunt urbes **Córdoba** et **Rosariensis** et **Platensis** et **Mendoza**. E contrario magnae partes regionis australis siccae et frigidae multo rarius incoluntur. - Usque ad a. 1950 Argentina fuit una ex civitatibus divitissimis totius orbis terrarum. Secundum consuetudines traditas ad oeconomiam adhuc multum valent agricultura et bovicultura et


materiarum crudarum pertractatio, sed interim 60% (sexagenae centesimae) producti domestici grossi pariuntur in rebus ministratoriis. - Ratione politicâ atque cultuali ad hanc terram usque ad medium saeculum vicesimum maximè valuerunt ii homines qui ex Italiâ atque Hispaniâ immigraverant. Spatia historiae argentinae recentioris praecipua sunt: peronismus (1946–1955; 1973–1976), complures dictature militares (praesertim 1976-1983), redemocratizatio (post a.1983) et neoliberalismus (anni nonagenarii saeculi vicesimi) usque ad crisin Argentinae a.2001 et consolidationem sequentem.



Gaucho (hispanicē *gaucho* ['gau.tʃo], lusitanicē *gaúcho* [ga'u.su]) in Argentinâ, Boliviâ, Brasiliâ, Paraquariâ, Uruquariâ appellatur incola, cuius maiores fuerunt immigratores iberici et indigenae, qui victimum sibi comparat operarius boviculturae pastoralis. Unum ex productis oeconomicis maximi momenti gauchorum fuit corium bovinum et postea caro boum siccata. Cultus civilis gauchorum, praecipue nōtūs est in regione pampae, in Patagonia argentina, in Magnâ Silvâ Austroamericae centralis. - Maximē floruerunt gauchones saeculo 19. Eorum vita cantilenis et narratiunculis romanticis celebrata est similiter ac bubulcorum Boreoamericae. Praecipue in Argentinâ et Uruquariâ mores et cultus civilis gauchorum maximē valent ad sensum Argentinorum atque Uruquarianorum nationalem.

cfr <https://la.wikipedia.org/wiki/Pampa>: „**Pampa** (hispanicē *pampa*, pl. *pampas*) est vastissima planities stepposa et subtropica Americae Australis, quae partem Argentinae, omnem Uruquariam, et partem australē Brasiliae (*Flumen Magnum Australē*) operit. Ad agriculturam valde idonea est. *Stipa*, *andropogon*, *festuca* sunt herbae pampae; *Ozotoceros bezoarticus* et *Leopardus colocolo* species pampae endemicae sunt; *Rheae* et *Dasyproctes plurimiae* in pampa habitant. Maxima civium Argentinae pars pampam incolit; urbes *Rosariensis* et *Platensis* et *Sanctae Fidei Verae Crucis* in pampa sitae sunt“.

Georgius Ludovicus **Borges** dicitur per iocum dixisse Argentinos esse „*Italianos, qui hispanicē loquerentur et vellent esse Britannos, qui crederent se vivere in urbe Parisiorum.*“ Ex hōc ioco Borgesiano apparent commixtio populi ex immigratoribus variarum terrarum Europae, quae insigniter valeat ad cultum humanum civilemque. Argentinae poetae et pictores et sculptores et cantores et compositores melodiarum et scaenothetae dramatum et cinematum aliique artifices artes suas colunt et fovent summo cum vigore summāque cum multiplicitate, praesertim in urbe Bonaeropolitanâ.



»*Semper imaginabar Paradisum esse aliquod genus bibliothecae*« JORGE LUIS BORGES (1899-1986)

Argentinae auctores saeculi vicesimi ineuntisque vicesimi primi fructuosissimi sunt quattuor homines praemio Michaelis Cervantes honestati, quorum nomina sunt Georgius Ludovicus **Borges** et Adolfus Bioy **Casares** et Ernestus **Sabato**, Iohannes **Gelman** necnon Iulius **Cortázar** et sorores Victoria atque Silvina **Ocampo**. Bioy **Casares** nonnulla opera scripsit unā cum Borges. **Cortázar** vixit Iohanne Dominico **Perón** gubernante per aliquantum temporis Genavae in Europâ exulatus est. Jorge Francisco Isidoro Luis **Borges** Acevedo (*d.24. m.Aug. a.1899 in urbe Bonaeropoli. † 14. m.Iun. a.1986 Genavae) fuit Argentinus auctor et bibliothecarius. Borges permultas conscripsit narrationes phantasticas

et carmina et habetur pro uno ex conditoribus magici realismi. Borges effectu *peronismi* etiam difficultates passus a.1955 eius occasum celebravit, postea spe deceptus est *dictaturâ militari*. Et Borges et Cortázar mortui sunt in terrâ peregrinâ: Borges Genavae in Helvetiâ a.1986 et Cortázar a.1984 Parisiis in capite Francogalliae.



RADULFUS LAVALLE
ARGENTINUS POETA LATINUS

Argentinus poeta Latinus est *Radulfus Bonaeropolitanus*, quocum Leo Latinus ex multis annis habet commercium litterarum Latinum iucundissimum. Radulfus Latinê poetatur de vitâ *Gauchonum* pastorum per *Pampam* regionis patriae suae illustrissimae circumvagantium. En lege eius verba Latina magnâ cum modestiâ allata: »*Radulfus Lavalle* (Raúl Lavalle) sum. Lucem vidi Urbe Bonaerensi, A. D. 1953; ibidem habitio. Mulier et tres filii mihi sunt; aliqua scribo; linguam Latinam, non bene, quotannis doceo multos discipulos (plus quam centum). Aliqui hoc vitae tempore peregrinantes me diligunt. Nulli molestus esse volo«. <https://suberic.net/~marc/lavalle.html>:

cfr **symbola Latina**: <https://la.wikipedia.org/wiki/Argentina>

APER SIVE SUS FERUS

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

aper, aprī m.

172

Wildschwein – wild boar – sanglier – jabali - cinghiale

i.q. sus ferus, verres. gr. κάπρος, σύαγρος.

ETYMON. ThLL 02,207,72sq.: aper, aprī m. [cf. c. abrunu ‘aprum’ abrof ‘apros’, fortasse c. theodisc. ebur, anglosax. eofor, slavon. veprī ‘verres, aper’. Th.]

TESTIMONIA. ThLL 02,208,3-9: *natura*: PAVL.FEST.33 cicur ex apro et scrofa domestica. PLIN.nat.28,33 qui III animalia singulis ictibus interfecerint hominem aprum ursum. HOR.epod.5,28 horret capillis, ut... currens aper. OV.ars 1,762 nunc erit hirtus aper. PLIN.nat.19,11 Cumanae plagae concidunt apro saetas, quae ferri aciem vincunt. SIDON.epist.7,14,3 cum praebeat...apro saeta vestitum. HOR.epist.1,18,51 superare ...viribus aprum. eqs.



Aper (*Sus scrofa*) est ordinis *Artiodactylorum*, familiae *Suidarum*, classis *Mammalium* et forma fera et originalis *porci domestici*. Area distributionis originalis ab Europâ occidentali usque ad Asiam austroorientalem pertingit. Cum expositi sint in America septentrionali et meridionali, in Australiâ et in insulis numerosis, apri hodie vivunt ferê ubique terrarum. Sues feri sunt omnivori et perbene se accommodant ad circumiecta; in Europa mediâ populatio harum bestiarum imprimis propter culturam maydis frequentiorem valdê exaugetur et apri saepius immigrant in regiones, quae ab hominibus incoluntur. - **Structura corporis.** Corpus suis feri, si e latere aspicitur, aspectum habet compactum et solidum. Haec structura corporis etiam insignior fit pedibus aspectis, qui, si comparantur cum massâ corporis magnâ, sunt breves et minus robusti. Caput proportione quam habet ad truncum corporis, permagnum est. Quod porro desinit in formam cunei. Oculi autem apri capiti supremo insiti porro in transversum sunt directi. Aures sunt parvae, in margine saetis hirsutis circumdatae. Collum breve, compactum, parum mobile non cognoscitur nisi sus ferus gerit pellem aestivam. Si sunt induiti pelle hiemali, caput videtur directe transire in truncum corporis. A fronte per dorsum percurrit pecten saetarum longarum, quae possunt erigi. - Altitudo corporis a capite ad pedes posteriores deminuitur. Corpus desinit in caudam, quae dependet usque ad artûs calcium, quae est valdê mobilis. Eâdem vibrandâ aut tollendâ sus ferus indicat affectum animi sui. A fronte si aspicitur, aper aspectum praebet angustum. - Aper si ex latere aspicitur, ab aprâ distinguitur formâ rostri. Quod in feminâ est longum et rectum, in mare est brevius. **Dentatura.** Sus ferus habet dentaturam robustam 44 dentibus instructam, in omni maxillae parte dimidia tres incisivos, unum caninum, quattuor praemolares, tres molares. - Marium dentes canini superiores et inferiores sursum incurvantur, in feminis hoc non appetit nisi in aetate provectis et minus quam in maribus. Apri ope dentium caninorum student admirationem movere. Eorum dentes inferiores, si maxime, sunt longitudine 30 centimetrorum. Soliti apri adulti habent dentes caninos inferiores 20 ferê centimetrorum, sed eorundem solent 10 tantum centimetra e mandibulâ eminent. Maxillae dentes canini maris sursum incurvati sunt multo breviores quam mandibulae. - **Pellis aprorum adulorum et annum natorum.** Pellis suis feri hieme est colore obscurê griseo usque ad fusco-nigrum, longis saetosis capillis tectoriis et brevibus capillis laneis subtilibus. Pellis aprina praecipue utilis est ad calorem regulandum, quia spatio aeris capillis inclusio impeditur, ne nimium calor is edatur. Capilli tectorii laeves impediunt, ne cutis apri dumeta percurrentis laedatur.

Capilli lanei totum corpus obtegunt exceptis partibus nonnullis capitis et parte pedum inferiore. - Tempore vernali sus ferus amittit pellem hiemalem et gerit pellem aestivam brevem capillorum laneorum expertem, cuspidibus capillorum lucide coloratis. Aper pellem mutat spatio fere trium mensium et in Europa media incipit pellem mutare mensibus, qui sunt ab Aprili usque ad Maium. Sues feri pelle aestivâ induiti multo graciliores esse videntur. Apri altero anno vitae suae pellem mutare iam incipiunt mense Iulio exeunte aut mense Augusto ineunte. Adulti apri pellem hiemalem induunt Septembri demum mense. Mense Novembri mutatio pellis est perfecta. Sed coloratio pellis valdê variatur pro regione et in eâdem regione. E.g. apri regionis Lacûs *Balchasch* lucidê harenacei aut albuli, in *Russiâ Albâ* inveniuntur rubeoli et lucidiores et nigerrimi et ad ripam fluminis *Ussuri* apparent sues feri lucide fusci et nigri. - **Apri maculati.** In populationibus aprorum liberê viventibus iterum iterumque inveniuntur individua, quae obsita sunt maculis nigri-fuscis aut nigris in receeu lucidiore, interdum etiam nigri-albis et nigri-fusci-albis. In disquisitionibus *Henrici Meyhardt* in DDR (Germanicâ Re publicâ Democraticâ) annis septuagenariis saeculi vicesimi maculae inventae sunt in tribus ex centum apris. Maculatio heredio traditur ratione recessivâ. Hae maculae eo explicantur, quod porci domestici diu culti sunt in pascuis ideoque sues feri et domestici inter se commixti sunt. Ex Polonicis disquisitionibus eodem tempore factis conclusum est apros saturo colore nigri-albo praeditos cum solito colore praeditis si comparentur, habere maiorem portionem mortalitatis, quia in iis regulatio caloris peius operetur. - **Pellis catulorum.** Apriculi neonati habent pellem medio colore fusco et quattuor quinqueve virgis flaveolis obsitam, quae a scapulis usque ad pedes posteriores pertingunt. In parte umerali et in pedibus posterioribus hae bestiae sunt maculatae. Forma virgarum et macularum est tam individualis, ut singuli apriculi possint sine difficultate inter se dinosci. Eorum capilli tectorii etiam moliores atque lanosiores sunt quam in apris vetustioribus ideoque minus bene protegit catulos quam parentes contra umorem; ita fit, ut tempestate umida mortalitas apricorum augetur. Haec pellis catulorum geritur circiter tres vel maxime quattuor menses, antequam catuli paulatim accipiunt pellem unius coloris fusculi iuvenilem. Quae est capillorum asperiorum quam pellis catulorum, sed adhuc mollior quam illa adulorum et habet capillos minus lanosos. In Europâ mediâ apri iuveniles accipiunt mense Octobri et Novembri primam vestem hiemalem, quae est potius coloris grisei nigrive, quo est pellis aprorum adulorum.



Apra cum apriculis.

Corporis pondus atque magnitudo. Pondus et magnitudo aprorum pro distributione geographicâ sunt vehementer variae, pondus praeterea variatur pro tempore anni. Valet regula crassa, qua massa corporis et magnitudo augmentur a austro-occidente usque ad boreo-orientem. Perfectê adulti sunt sues feri ex quinto anno aetatis; in Europâ mediâ aprae hac aetate sunt longitudine capitis truncique 130 vel maximâ 170 centimetrorum, apri assequuntur longitudinem 140 vel maximâ 180 centimetrorum. Pondus aprarum adultarum vivarum maximum in Europâ mediâ est circiter 150kg, aprorum adulorum circiter 200kg. Aprae minimâ 5 annos natae organis interioribus privatae in Germania orientali pependerunt 43-95kg, apri organis interioribus privati 54-157kg. Maxima pondera assequebantur aprae ibidem a mense Octobri usque ad Martium, apri ab Augusto ad Decembrem. Pondus aut aetas ad mactandum apta non potest definiri, quia venatio ferarum bestiarum subiecta est Fortunae. - Sues ferae in *Astrachan* in regione *Beresinae* et in *Caucaso* fiunt insigniter maiores atque ponderosiores. Mares ibidem assequuntur longitudinem corporis, si maximam, 200cm et pondus 200kg. Annis tricenariis saeculi proximi praeteriti in deltâ fluminis *Volgae* et ad ripam *Syrdariae* sues feri sunt capti, qui pendebant, si maximi, 260kg, et nonnullis annis antea traditi sunt apri ponderis 270kg et 320kg. Etiam in Russiae Oriente extremo apri inventi sunt plus 300kg. In totâ regione distributionis venando deminuta est magnitudo corporis suis feri ita, ut hodie apri, qui sunt pondere corporis 200kg, habentur pro permagnis. Ex montibus Carpatis refertur de suibus feris, qui sunt altitudine umeri 110cm, pondere 350kg. - **Nutritio.** Sus ferus nutrimenta investigans humum perruit, ut inveniat radices, vermes, larvas mélolontharum, mures, cochleas, fungos. Apri devorant praeter plantas aquáticas, velut *Acronum calamum*, etiam folia, germina, fructus arborum et herbarum et graminum numerosorum. Animalia omnivora cum sint, etiam cadavera et purgamenta degluttunt. Observatum est sues feros effringere cavernas cuniculorum, ut devorarent catulos cuniculorum. Interdum iidem etiam ova et pullos avium in solo nidificantum ingurgitant. Nec abstinent a conchis in rivulo exarescenti inventis. - Multum valent ad suum ferorum nutritionem fructûs quercuum et fagorum. Annis, quibus hae arbores abundant fructibus, quae appellantur annis saginandi, sues feri per menses maximam partem se nutriunt glandibus querneis atque fagineis. Si haec saginatio deest, compensatur *mayde* in agris cultâ. Venatores autem maydem exponunt ad apros alliciendos. In Asiâ venatores apros alliciuntur seminibus variarum *Pini cembrae*. In Europâ mediâ sues feri valde etiam cupiunt radices *Pteridii aquilini* et

epilobii. Pro anni tempore haec animalia etiam deglutint radices *Anemonae nemorosae* et *Bistortae officinalis* et *Plantaginis* et *Calthae palustris*. Praeterea suis feri libenter pascunt trifolium et partes plantarum superterrenas *Graminearum*, *Rumicis*, *Aegopodii*, *Pteridii aquilini*, *Heraclei sphondylii* necnon *frondem quercum*. - Sues feri in agris cultis detrimenta afferre possunt gravia. Qui devorant omnes fruges, quae in Europâ mediâ ab agricolis coluntur. Apri sciunt distinguere inter singulas varietates pomorum terrestrium et libentissime devorant poma terrestria praecocia. Sues feri etiam rimantur campos frumenti rimandoque maiora detrimenta inferunt quam vorando. Etiam ea detrimenta, quae inferunt viridariis, praecipue sunt detrimenta rimandi. Ista bestiae bulbos florum cupientes integra prata areolasque perfodiunt. Magna damna suas feri agriculturae eo praecipue inferunt, quod propter absentiam glandium quercum fagorumque nutrimenta sagiunt in agris cultis. Haec est causa gravissima, quâ venatio aprorum tam frequens fiebat, ut talia animalia quibusdam in partibus Europae per saecula prorsus deessent. Historici opinantur saepimenta agrorum iam actate aeneâ constituta eo fine, ut suas feri arcerentur. Ceterum suas feri etiam devorant insecta, quae partem temporis suae ontogenesis degunt sub terrâ, et alia animalcula. Rimatione vehementissimâ apri efficiunt etiam detrimenta haud parva faunae subterraneae, e.g. lacertarum, quarum destruunt locos ova parandi et hiemandi. Sues feri nutrimenta quaerentes humo rimandâ augent multiplicitatem specierum ita, ut selectione praferantur species vitae brevioris. Ita fit, ut apri contribuant ad protectionem specierum botanicarum. Hoc inde explicatur, quod semina plantarum abundant in humis, quas suas feri rimantur. Propter qualitates solorum, quae bestiae rimantur mutatas praeterea augetur facultas plantarum germinandi, et quiete vegetationis interruptâ plantae crescent fortius. Seminibus plantarum vorando distribuendis sus ferus est – ut aiunt botanici – unus ex maximis “vectoribus” multarum specierum. - **Modi movendi.** Sues feri quiescentes solent omnes quattuor pedes onerare aequaliter. Idem possunt per longum tempus migrare velocitate sex vel decem chiliometrorum horalium. Cursu citatissimo aufugunt territi; apri adulti omni saltu duo metra possunt salire, velocitatem assequi 40km/m, altitudinem saliendo assequuntur 140-150cm. Sed haud diu cursum tam velocem non possunt tenere et mox retardantur. - Sues feri sciunt perquam bene natare idque per longa spatia; e.g. apri pernatant Rhenum inter circulos municipales Lörrach et Waldshut, etiam deorsum a genu Rheni prope Basileam situm. Cum apri natant, partes tantum capitis anterioris et superioris eminent ex aqua.



Quies aprorum qualis sit. Sues feri per maganm diei partem quiescent. Quo tempore diei hoc faciant, pendet a condicionibus circumiectorum variis. Ad quiescendum libenter utuntur locis specialibus aut singuli aut congregati. Apri somniculosi solent cubare pedibus erectis, ventre humo apposito. Typicus est etiam situs lateralis, in quo pedes angulo recto extensi sunt. Situs occuiniscendi sive incoxandi, quo pedes implicantur, a subus feris per breve tantum tempus habetur. - Sus ferus solet se volutare in volutabris, id est lacunis limosis lutosisque, ut imprimis aestate calor corporis reguletur. Limo enim bestiolae cutis parasiticae encapsulantur; praeterea stratum limi arescens impedit, ne insecta pungentia ad cutem accendant et abstergetur eo quod sus corpus atterit arbori, quae sita est prope volutabra. Apri atterere solent potissimum ad arbores resinosas, quarum cortex est asper atque crassus, in Europâ mediâ tales sunt quercus et pinus et piceae. Hae arbores si diutius ab apris adhibentur vestigiis sunt insignes. Limo abstero arbor in locis attritis colore est albi-griseo, cortex est partim ablatus. Ad abdomen atterendum suas se collocant supra truncos arborum iisque se atterunt. Apri caninis dentibus suis inferioribus arbores signant. Necessarium est, ut corpora ad arbores atterant, quia suas feri propter colli brevitatem et immobilitatem non possunt dentibus suis se purgare et ab insectis nocivis liberare. - **Propagatio prolis.** Tempus copulandi pendet a condicionibus climaticis; in Europâ mediâ idem plerumque incipit mense Novembri et finitur Ianuario aut Februario – copulationes frequentissimae fiunt mense Decembri. Initium temporis copulationis determinatur a subus feminis. Sed etiam hoc tempus fieri possunt copulationes. Nam apri sunt per totum anni apti ad copulandum et inseminandum. Aprae iuveniles – si quidem habent sat multum nutrimenti – iam post 8 vel maxime 10 menses pubescere. Mares plerumque sunt secundo demum anno aetatis suaे sunt apti ad prolem propagandam. Exceptiones huius regulae usque nunc non observatae sunt nisi in Civitatibus Unitis, ubi populationes suum ferorum saepe permixtae sunt porcis domesticis. Aprae possunt per totum annum paratae esse ad concipiendum. -

Magna portio prolis propagandae iam aprorum iuvenilium est inter mammalia ungulata magnitudinis comparabilis res insolita et potius typica inter mammalia minoris massae corporalis, velut rodentia et lagomorpha. -



Pugnae suum marium. Tempore copulationis si mares unus in alterum incident feminam competentes, solent pugnare quendam ritum sequentes. Unus alteri reverentiam movere studet variis modis, e.g. pedibus posterioribus terram radit, urinam spargit, mandibulam maxillamque attritu acuit. Acuendo mandibula cito in latera huc illuc movetur. Itaque dentes canini maxillae et mandibulae inter se atteruntur. Quo vehementius competitores excitantur, hic attritus transit in motiones masticandi aut mandibulam maxillamque inter se dimovendi et compulsandi, idque magno cum strepitu. Saepe ad rostra aprorum appetit salica spumosa. Simul longae saetae pectinis sunt arrectae, caput est declinatum. Mares unus alterum circumrotant, dum pugnant umeris invicem appressis. Nisi usque hoc momentum temporis neuter aper fuga salutem petivit, vera pugna incohatur, quā mares dentibus caninis inferioribus utuntur, **ut impulserent ventrem et latera corporis.** Itaque unus aper alteri potest infligere vulnera sanguinolenta. Pugna non finitur, antequam unus e rivalibus aufugit. -



Petitio nuptialis et copulatio. Si qui mas tempore copulandi incidit in feminam, olfaciendo explorat regionem eius genitalem. Si femina est parata ad conceptum, eam leviter impellit eius latus ventrale, latera, colli partem inferiorem et feminam circumvit. Si femina a petitione maris se removet, mas eam sequitur et conatur contactum tenere eo quod caput dorso feminae imponit aut eius lateribus apprimit. Haec petitio maris fieri potest per longius tempus. Si femina nondum parata est ad copulandum, interdum impetum facit in marem. Deinde mas conatur feminam sedare contactu nasonasali et inhalatione. Femina nisi copulare vult, interdum édit quiritatum arcendi. Nisi aliud habet adiumentum, apra venerem recusans considit aut decumbit, ut removeat regionem suam genitalem.

E contrario apra ad coitum parata pedes posteriores rigidos atque transversos retro protendit caudamque seorsim avertit. Nunc mas feminae insidit caput dorso feminae imponens. Hac in positione ambae bestiae solent per quinque fere minutus remanere immoti, antequam inter se seiungunt. Femina inter tempus copulandi circiter quinques aut sexies cum mare coit. - **Partus catulorum.** Gestatio aprarum fit minimum per 114, maximum per 118 dies (regula memorialis: „tres menses – tres menses – tres dies“). Apriculi in Europa media plerumque nascuntur inter menses Martium et Maium. Qui pariuntur et visu et saetis instructi. Pondus apriculi neonati est inter 740 et 1100 gramma.



Lactatio apriculorum plerumque numerosorum fit per 2,5 - 3,5 menses. Si femina particeps est catervae, seiungit se ab eâdem et iter facit proprium, usque dum apriculi tanto adoleverint, ut catervae possint particeps esse. Apra et apriculi solent unâ convivere inter se coniuncti per 1,5 annos. Femina ante partum diligenter eligit locum ad nidum natalem parandum. Hi alvei parturiales saepe sunt versus meridiem expositi, ut sole calefiant. In regionibus paludosis apra quaerit locos soli altiores, ut nidus sit siccus. Sus gravida nidum tomentum construit gramineum, deinde tectum. Per medium sus fera parit septem fere catulos. Dum parit apra solet iacere in positione laterali. Inter dies vitae priores catulorum, qui impatientes sunt frigoris et umoris, mater plerumque remanet in nido parturiali. Pro condicionibus tempestatis, mater nidum relinquit cum apriculis post unam duasve septimanas. Aprae matres catulos suos defendunt fortiter atque vehementer. Itaque fieri etiam potest, ut impetum faciunt in homines.



Mores sociales. Sues feri convivunt in familiis maternis aut in gynaeco aut in gregibus suum biennum. Solitarii vivunt imprimis dues mares. Genus convivendi consuetissimum est familia materna, quae constat ex femina eiusque prole una novissima. Interdum proles feminina anni proximi praeteriti manet apud matrem et nonnumquam secum dicit iam prolem propriam. In tali unione mater originalis est sus dux. Apri alieni non solent recipi in talem gregem. Si variae familiae maternae una in alteram incidunt, manent inter se remoti. Hi greges dissociantur, si nutrimenta non sufficiunt, si venatione aliisque disturbancebus sunt disiecti aut si sus dux moritur. Propter apriculorum mortalitatem magnam, magnitudines gregum valde variantur. Greges suum ferorum, qui complectuntur plus 20 dues, in Europa media sunt exceptiones. Mares anno proximo nati a feminis e grege fugati per minimum unum annum in unione propriâ. Etiam ibi non fit congregatio cum apris anno proximo natis aliorum gregum. Hierarchia singulorum suum talis gregis iam ex tempore iuventutis pugnando est definita. Ex altero anno aetatis mares plerumque solitarii iter faciunt per regionem suam habitatoriam. Tempore copulationum, quae fiunt a mense Novembri usque ad Ianuarium mares se adiungunt familiis maternis. At convictus maris et familiae maternae manet laxus – nam mas non cubat in eodem cubili et femina dux dicit gregem. Interdum etiam inveniuntur greges suum anno proximo natorum, in quibus mares et feminæ unâ convivunt. Tales greges fiunt, si mater iam sclopeto necata est aut morte naturali est mortua. Tales greges non typici iam proximo tempore copulandi dissolvuntur. -



Ecce Hercules cum Apro Erymanthio luctans! Haec est sculptura aenea Berolinensis. Quae statuta est in Plateâ Lützowianâ in tribu Berlin-Tiergarten. Haec sculptura est annis tricenariis saeculi proximi in officinâ fusoriâ Hermanni Noack confecta secundum adumbrationem, quam fecerat Ludovicus Tuailon a.1900 et a.1962 in Plateâ Lützowianâ statuta.

Sues feri in litteraturae quales inveniantur. Venatio apri ferocis iterum iterumque erat thema litteraturae. Iam in mythis Homericis narratur Diana Dea venationis ultionis cupida misisse aprum in terram, qui campos atque vineas rimando vastaret et destrueret. Exempla sunt **Hercules** Aprum **Erymanthium**, **Atalante** atque **Meleager Calydonium** venantes. Ovidius poeta Romanus describit, quanta detimenta efficiant apri agros agricolarum rimantes. In **Eddâ** poemate Nordico heroes omni die venantur aprum **Sährimnir**, qui postridie mane resurgit, ut heroes eum denuo venentur. In carmine **Nibelungorum** aper 8 locis commemoratur: *swîn* (B, 911,2; 916,3; 938,4); *wildiu swîn* (921,2); *halpewuol* = *halpswuol* (935,3); *eber* (938,1); *eberswîn* (1946,3); *eber wilde* (2001,3). **Sigfridus** heros venatur *bern unde*

swin, i.e. ursos et apros, et primum ferit *vil starkez halpswuol* (Hs. C: 943,3), i.e. aprum semiadultum. Brevi post aper, quem Sigfridus in angustias compulit, impetum facit in heroem. Aper habetur a Nibelungis pro robustâ bestiâ ferocissimâ, quae venatoribus est perquam periculosa. Sigfridus istum aprum interficit gladio (938 sq.), ut appareat eius fortitudo eximia. - Etiam in fabellis pugna cum apro pugnanda est tentamen animositatis. In fabellâ, quâ agitur *de Vestificulo fortissimo*, vestifulus tenuis atque exiguus, sed versutissimus, technâ quâdam capit aprum ferocissimum, quem timent ipsi venatores. (v. etiam fabellam *Ossis canori*). In serie fabellarum fumopticarum sive libellorum scaenicographicarum, quae appellatur *Asterix* et agitur in Galliâ aetatis Romanae circiter a.50 a.Chr.n. Iulio Caesare Imperatore militum, sues feri habentur pro cibo delicatissimo non sôlum ab *Asterige* atque *Obelige* personis praecipuis, sed ab omnibus incolis vici Gallici, qui Romanis resistunt perseverantissimê. Ferê omni fasciculo huius seriei omnes incolae vici celebrant convivium, ubi helluantur carne aprinâ. - In fabulâ horrificâ *Thomae Harris*, c.t. *Hannibal*, apri multum valent in consiliis a *Mason Verger* captis, qui ulcisci vult *Doctorem Lecter*. Verger ulturus conseminum aprorum creat, quod est perquam ferox et sanguinolentum, ut Lecterum istis bestis monstruosis interficiat. -



INSIGNE QUO LEGIO X FRETENSIS USA EST
EXPUGNANS HIEROSOLYMAM A.D. 70.

Aper quantum valeat symbolum heraldicum et nomen vicorum oppidorumve.

Insigne Legionis X Fretensis, quae sub Tito Imperatore a.70 p.Chr.n. in Bello Iudeico expugnavit Hierosolymam, habuit *insigne aprarium*. Procul dubio religio Iudeorum vehementer laesa est hôc symbolo. Aversionis porci Iudaicae memor *Pinchas Lapide*, theologus et interpres Iudeus omnium linguarum biblicarum (hebraeicae, aramaeicae, graecae, latinae) optimê peritus (1922-97) verbis effert, quantâ cum aversione religiosâ Iudaei biblii sues consideraverint, ideoque nonnullos locos biblicos novâ ratione interpretatur (*Pinchas Lapide*, Ist die Bibel richtig übersetzt? Gütersloh 2004, p.122 sq., Latinè reddidit Leo Latinus):

»*Notum est (sc. secundum fidem Iudeorum) suem non esse aptum ad comedendum* (Lev.11,7; Dtn. 14,8), et totâ in Israelâ *cultura suum erat severissimê prohibita* (BQ 7,7). ,*Exsecratus sit iste vir, qui alit sues!*' (M 64b und Sota 49b) habebatur pro principio immutabili. *Sus item habebatur pro symbolo Imperii Romanorum exosi, quod referebatur ad VULG.Ps 79,8-14, ubi legitur: „Deus exercituum...vineam* (vinea Dei = Israel) *de Aegypto tulisti, eiecasti gentes et plantasti eam...quare vendemiaverunt eam omnes, qui transeunt per viam, vastavit eam aper de silva* et omnes bestiae agri depastae sunt eam... . 'Accedit, quod Legio X. Fretensis, quae in Israelia famosam istam ,Pacem Romanam' gladio saeve ad effectum adducebat, insigne habuit aprarium. Si additur legionarios Romanos parcam cenam suam militarem saepe ditificasse carne porcinâ ex vicis graecis decapolitanis, consentaneum erat, ut notionibus porci et legionis in rebus politicis subesset aliquid indecori et sordidi, praesertim sententiâ eorum, qui speraverunt Israeliam liberatum iri (Lk 1,49-55; 1,68-71; Hk 2,38). Cum Jesus discipulos suos monet: ,Nolite dare sanctum canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos ne forte conculcent eas pedibus suis et conversi disruptant vos' (Mt 7,6), loquitur de paganis – sed praesertim de Romanis, quos sentit dignos non esse, qui de sapientiâ Thorae doceantur (cf. Proverbia 11,22). - Cum in *Parabolâ Filii Prodigi* dicitur: „Et abiit et adhesit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant et nemo illi dabat.' (Lk 15,15sq.), hic nescio an non solum agitur de emigratione ex regiona Iudeorum, sed de re etiam infamiore: de collaboratione cum Romanis, i.e. de sodalitate conducticiâ cum tyrannis paganis – profecto: delapsus est ad faecem generis humani. Ergo in hac parabola Jesus loquitur de Iudeo, qui se averterat ab heredio suo biblico, proditur factus est, sed in fine tamen paenitentiam agens revertitur in patriam. - Cum autem hîc (Mc.5,1-13) narratur de sanatione viri ,spiritu immundo' obssessi, qui sibi esse nomen *Legionis* dicit, ,quia multi sumus', qui deinde Iesum ,deprecatur, ne se expellat extra regionem', et tum rogat: ,Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus', haec omnia videntur esse series allusionum dilucidarum ad potestatem Romanorum ingratam. Nam etiam *Romani* noluerunt ,regionem' relinquere; etiam idem erant ,spiritu immundo' et fuerunt valde numerosi; necnon a populo solebant referri ad porcos. Nec potest non intellegi gaudium damni alieni, quo narrator commovet narrans de interitu multorum (Romanorum) procorum, cuius causâ ,mare' expressis verbis commemoratum est. Scilicet Romanos ,ex mari' in Israelian venisse, populo Iudeo nolente; itaque ut isti domum veherentur trans mare, aut potius in mare, a Iudeis paene omnibus exoptabatur. Suppleam Matthaeum locum sanationis vocare *Gadaram*; quod oppidum aliter ac Geresa, haud procul est a mari et bis in bello contra Romanos gesto destructum est - a Vespasiano, cum Gadarae incolae a Placido praefecto equitum partim trucidati, partim capti aut crucifixi erant. - Verisimile est huic narrationi id inesse verum, quod Iudei superstites optaverunt, ut ,porci Romani' - ita ut olim Aegypti equi equitesque (Ex. 14,27) aquis marinis submergantur.« ---

Sus ferus aetate mediâ et novâ saepe adhibebatur ad insignia impingenda et oppida denominanda. Exempla bene nota sunt oppidum circulare *Eberswalde* ab urbe Berolino versus boreo-orientem situm, nomina oppidorum *Eberbach* vel *Ebersbach*, *Everswinkel* in regione *Monasteriensis* sita, et *Eversberg* in regione fluvii *Surae*. Scutum heraldicum circuli

municipalis **Ebersberg** et oppidi circularis eiusdem nominis in Bavariâ Superiore sitorum ornatum est apro dentibus magnificis ornato; etiam oppidum **Ebermannstadt** in Franconiâ Superiore situm utitur insigni aprario. - In scuto heraldico tribûs *Wolfsburgensis*, quae appellatur **Vorsfelde**, apparet in recessu argenteo aper niger in solo viridi saliens. Quod scutum est loquax, nam sus ferus spectat ad primam nominis partem, quae est *Vor-*: *Dat Vor* est coniunctio verborum dialecti theodiscae inferioris, quae significat *porcum macrum*.



Insigne formae hodiernae primum a.1740 apparuit. Quod exortum est ex sigillo *Vorsfeldensi*, in quo sus ferus saliens iam a.1483 fuisse traditus est. (*v. supra, a sinistris*). Verisimile est hanc bestiam insigni attributam esse, quia silvae propinquae, quae appellantur *Drömlingswälder*, apriis abundabant. Ex a.1952 aper effertus stat in vitrina prioris curiae *Vorsfeldensis*, quem venator in propinquuo praedatus est (*v. supra, a dextris*). -



Gens nobilis Megalopolitana, cui nomen est **Bassewitz**, nomen suum derivat a verbo sermonis venatorum *Basse*, quo nuncupatur aper ingens. Etiam gens Bassewitziana aprum habet in scuto suo heraldico (*v. supra*). -



Caput apri est signum mercatorum officinae potulentorum spirituosorum in **Nörten-Hardenberg** sitae, cui nomen est **Hardenberg-Wilthen** („*Hardenberger*“). Possessor huius officinae hoc signum sibi excogitavit, quia aper est bestia heraldica Comitum de Hardenberg, quae hoc loco habent sedem suam originalem. (*v. supra; infra: duo insignia alia*).



heraldum oppidi *Schweinspoint* -



heraldum oppidi *Wörlitz*

--- HAEC HACTENUS DE APRO SIVE SUE FERO. ---

ARIERA QUALIS FRUCTUS SIT

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

āriēra, -ae f.

255

Kokosnuss – cocoa nut – noix de coco – coco – noce di cocco

TESTIMONIUM. PLIN.nat.12,24 Maior alia pomo et suavitate praecellentior, quo sapientes Indorum vivunt. Folium alas avium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duum. Fructum cortice emitit admirabilem suci dulcedine, ut uno quaternos satiet. Arbori nomen *palae*, pomo *arierae* (v.l.: arienae). Plurima est in Sydracis, expeditionum Alexandri termino. Est et alia similis huic, dulcior pomo, sed interaneorum valetudini infesta: Edixerat Alexander, ne quis agminis sui id pomum attingeret. (25) Genera arborum Macedones narravere maiore ex parte sine nominibus...

v. *Cocos nucifera*. In Voce Latinâ olim demonstravi (Vox Latina 127-129) nomen *āriērae*, quod invenitur apud Plinium maiorem (nat. 12,24) neque spectare ad *Musam paradisiacam* neque ad *Artocarpum integrifoliam* (*jackfruit*), ut a variis philologis indicatum est, sed ad nucem arboris, quae a botanicis appellatur *Cocos nucifera*.



cfr Nikolaus GROSS, **De ariera fructu mirabili** (PLIN.nat.12,24), Vox Latina 127/1997, p.61-85 (pars I), 128/1997, p.208-227 (pars II), 129/1997, p.332-351 (pars III). - **SUMMARIUM:** Vox Latina 129/1997, p.349: (1). Theophrasti (Hist.plant.IV 4,5) planta prima et secunda et Plinii (nat.XII 24) prima (*āriēra, pāla*) sunt eadem planta: *Cocos nucifera*. - (2). Nomen *āriērae* Plinianum ducitur a verbo **Pracritico**, quod est *nāriēra* et significat *Cocoidem nuciferam*. Forma sanscrita huius verbis est *nārikēra* sive *nārikēla*. Ergo in textu Plinii (nat.XII 24) praefерenda est lectio difficultior, quae inest Codici Moneo: *āriēra*, non: *āriēna*. - (3). Nomen *pālae* Plinianum (nat.XII 24) videtur non significare arborem, i.e. palmam, sed *spadīcem* palmae. Opinatur palam Plinianam esse verbum aliquius linguae præcriticæ (i.e. meso-indoariae), cui respondet nomen spadicens coconiae tamilicum, quod est *palai*. Fortasse subest verbum sanscriticum *phāla* "vomer, fascis, fascis florū". - (4.) Locis tractatis (THEOPHR.Hist.plant.IV 4,5; PLIN.nat.XII 24) non Plinius, sed Theophrastus erravit eo, quod descriptionem unius plantæ discerpsit et fragmenta duabus plantis diversis adscripsit. Plinius videtur uno fonte usus esse, qui originem repetit a relatoribus expeditionis Alexandri Magni in Indiam factae. Plinius h.l. neque contaminavit testimonia neque adhibuit testimonia recentiora. - (5). Plinius l.c. per errorem scribit corticem pro spatha aut spadice palmae (cfr PLIN.nat., COLUM., MEGASTH. ap. Arrian.Ind.: φλοιός). - (6.) *Vinum Nysaeorum et Sydracarum* (Graecē Οξυδράκατ, sanscritē Kṣudrakāḥ) apud Strabonem (XV 8) memoratum non fuit vinum proprii generis, sed vinum palmarum (sanscrite surā, Cosmas 6.saec. Ρογχο-σοῦρα; anglicē "toddy" sive "jaggery"), i.e. liquor spadicum palmarum fermentatus (cfr Nearchus apud Strabonem de fructu inebriante). *Sydraceae* videntur vinum palmarum cum pompis religiosis coluisse, quia in Sydracis plurima fuit *āriēra* (i.e. palma Cocoidis), ut ait Plinius. - (7.) Tertia planta Theophrasti et secunda Plinii sunt eadem: Magnus fructus dulcis, non rectus, sed tortus, quem ad dysenteriam vitandam ne attingerent milites sui Alexander edixit, videtur esse manga (*Mangifera indica*). - (8). Fructus, quem dicit *Aristobulus* formā fabarum et sapore melleo esse, videtur esse *Cassia fistula* (= *Bactyrolobium fistula*). - (9.) *Bananae* vestigium neque apud Theophrastum neque apud Plinium invenimus. Primum nomen bananae Latinum invenitur in scriptis mediaevalibus (a.1350): *musa*, ae f., verbum originis indico-arabicae (sanscritē *moca* = arabicē *Muz*, *mauz*, quod a Linneo factum est nomen generis botanici. - Alia nomina parum subtilia fuerunt *ficus Adami*, *ficus paradisi* et similia. Forma verbi *bananae* Latina primum inveniri videtur in itinerario Latino a.1585. Praeterea invenimus hanc formam apud Bernhardum Varenium (a.1649). - (10.) Alia testimonia Cocoidis nuciferae antiqua inveniuntur in Periplo Maris Erythraeo (ναργύλιος, i.e. oleum coconinum) et in "Topographia Christiana" Cosmae Indicopleustae, qui nucem coconinam (ἀργέλλιον) fusè describit. Nomen parum subtile: *nux Indica*. Nomina botanica: *Cocos*, *oidis* f. et *cocoinus*, -a, -um.



ARIES QUID SIT

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

ariēs, -etis m.

Widder, Schafsbock - ram - béliger – carnero - montone

gr. κριός m.

i.q. ovis masculus.

ETYMON. ThLL 02,570,55sq.: = umbr. erietu ‘arietem’, cf. esse videtur c. lituan. eris, éras ‘agnus’, gr. ἔριφος, Th.


TESTIMONIA. ThLL 02,570,55 **aries**, etis m. ...lin.75-80: I o v i s m a s c u l u s: A proprie: a domesticus: GLOSS. κριός. LABER.mim.154 arietem reciprocicornem et lanicutem et testitrahum. LVCIL.460 ibat forte aries, inquit, iam quod genus quantis testibus. CATO orat.18,11 (Non.137) asinum aut musimonem aut arietem. VARRO rust.2,1,24 scire oportet, in grege quot feminas habeat, quae parere possint, quot arietes, quot utriusque generis suboles (saepius). CIC.Tusc.5,115...

DERIV. arietarius. arietatio. arietillus. arietinus. arieto, -are.

ariēs, -etis m.

22 (constellatio) **Widder - Ram - Bélier – Aries - Ariete**

TESTIMONIUM. ThLL 02, 572,11sqq. [signum caeleste in zodiaco (inde a Varrone rust.2,1,7). ...



Aries, cuius symbolum est $\text{\textcircled{T}}$, est constellatio ecliptica. Aries est constellatio parva, sed conspicua. Idem situs est in meridiem **Trianguli** constellationis inconspicuae et in orientem **Piscium**. Stellae lucidiores α (Hamal), β (Sheratan), γ (Mesarthim) efformant lineam incurvatam. - Haec constellatio primo commemoratur millennio tertio a.Chr.n. in Mesopotamia ibique **MULLŪMUHUN.GA agricola** vocabatur. - Constellatio Arietis originem repetit a mytho graeco **Velleris Aurei**. Athamas rex Phrixum filium suum natu maximum fecit successorem. At Ino eius noverca voluit regem fieri filium suum proprium. Ut Phrixum de medio tolleret, dolo usa est. Id enim effecit, ut sementes proximo anno destinatae corrumperentur. Cum anno sequente messis inciperet mala fieri, curavit Athamanti oraculum commenticium tradendum. Quo dictum est inopiam et famem non posse evitari nisi Phrixus deis immolaretn. Athamans miserrimus cum esset sacrificatus, aries apparuit pelle aurea induitus. Phrixus unā cum Hellā sorore dorso huius bestiae insiluit, quae cum ambobus avolavit. At Helle de dorso arietis elapsa in mare praecepitata est. - Phrixus Colchidem ad Pontum Euxinum sitam pervenit et arietem ab eo ipso rogatus immolavit. Aries autem servator Phixi ut gratiam acciperet, ad caelum sublatus est. Pellis huius animalis, vellus aureum, in luco sacro conditus est. - Mytho Argonautarum narratur, quomodo vellus aureum a Iasone raptum sit. --- Secundum argumentum cinematris litigiosi, c.t. „Zeitgeist“, id quod Abrahamus loco Isaaci immolavit arietem (Gen. 22,13), dicitur cohaerere cum „aetate arietis“ (transitus puncti vernalis per constellationem arietis). Quod Moyses damnavit *vitulum aureum* (Ex 32,19-20), dicitur significare finem *aetatis tauri* ante initium aetatis arietis factum.

ariēs, -etis m.

183

Schwertwal – killer whale, grampus – orque, épaulard – orca – orca

i.q. magnum mammale marinum rapax, familiae delphinorum particeps.

[PLIN.nat.9,10; 9,145; cf. Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim Älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.39sq.; Orcinus orca]

SYN. orca, ae f. PLIN.nat.9,12-14 (cfr Leitner, loc. cit., p.40).

TESTIMONIA. ThLL 02,572,70-74: III p i s c i s: **PLIN.nat.1 ind.9,67** de ariete pisce, nat.9,10 nec pauciores beluas in Santonum litore interque reliquias elephantes et arietes, candore tantum cornibus adsimilatis, Nereidas vero multas *Oceanus destitut. 9,145* Grassatus aries ut latro et...si quem nandi voluptas invitet, expectat. cf. 32,144. CLAVD.10,163. - cfr Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim Älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.39sq.: aries = orca (**PLIN.nat.9,12-14**); moderna nomina zoologica: Orca gladiator, Gray = Delphinus orca, L. = Orcinus orca = Orca orca.

PLIN.nat.9,10: ...Tiberio principe contra Lugdunensis provinciae litus in insula simul trecentas amplius beluas reciprocans destitut Oceanus mirae varietatis et magnitudinis, nec pauciores in Santonum litore interque reliquias elephantes et *arietes candore tantum cornibus adsimilatis*, Nereidas

vero multas. id. 9,12-14 *Ballaenae* et in nostra maria penetrant. In Gaditano Oceano non ante brumam conspici eas tradunt, condi autem statis temporibus in quodam sinu placido et capaci, mite gaudentes ibi parere. Hoc scire *orcias*, infestam his beluam et cuius imago nullâ repraesentatione exprimi possit alia quam carnis immensae dentibus truculentae. Inrumpunt ergo in secreta ac vitulos earum aut fetûs vel etiamnum gravidas lancinant morsu incursuque ceu Liburnicarum rostris fodunt. Illae ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes et pondere suo oneratae, tunc quidem et utero graves pariendive poemis invalidae, solum auxilium novere in altum profugere et se toto defendere oceano. Contra orcae occurrere laborant seseque opponere et caveatas angustiis trucidare, in vada urguere, saxis inlidere. Spectantur ea proelia ceu mari ipso sibi irato, nullis in sinu ventis, fluctibus vero ad anhelitus ictusque quantos nulli turbines volvant.

Orcinus orca est species balaenarum familiae delphinorum (*Delphinidae*) particeps. Quae species omnibus in maribus passim invenitur, sed praefert regiones marinas in altioribus gradibus latitudinis prope litora sita. - Arietes sunt bestiae sociales structurâ populationis complexâ insignes. Grex minimus est artissimâ familiaritate firmatus, quia constat ex balaenis lineâ maternâ consanguineis. Zoologi observaverunt et intra lineam maternam et intra greges populationis gradûs altioris orcas maiores natu catulis tradere quasdam rationes venandi et sonos êdendos; talis traditio a quibusdam scientistis habetur pro notâ cultûs civilis, qui *cum grano salis* comparari possit cum humano. - Populatio orcarum ubiquitaria distribuitur in varios oecotypos, qui inter se differunt structurâ corporis, sonis êdendis, modis agendi. Utrum oecotypi orcarum sint singulae species, adhuc disquiritur a taxonomis – manifestum autem est orcas variorum oecotyporum inter se non commisceri. Analysisbus ipsius ADN (acidi dysoxyribonucleinici) a.2010 factis verisimile est complures species et subspecies esse inter se distinguendas. Arietes sive orcae sunt carnivorae generales, quae praesertim praedantur pisces, mammalia marina, velut phocas et interdum alias balaenas. Raro fit, ut etiam praedentur mysticetos (i.e. balaenas barbâ instructas) adultos. Oecotypi locales plerumque assuefacti sunt ad certa genera bestiarum praedanda ideoque speciales rationes venandi excoluerunt. Arietes marini sunt praedatores marium excellentissimi, quia nullos habent hostes, a quibus devorantur. Notum est eosdem gregatim venari. Species *Orcae orcinæ* non putatur periclitari, quia maximam partem non solebat ita captari ut alias species balaenarum.

At quibusdam orcarum populationibus imminet circumiectorum contaminatio. - Cum indiani Americae septentrionalis orcas more tradito venerati sint, hodie eadem saepe coluntur in delphinariis, quod a multis vituperatur. -



ARINGUS QUID SIT

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

aringus, -ī m.

267

Hering – herring – hareng – arenque – aringa

[PS.GARG.MART.62] (*Clupea harengus*)

TESTIMONIA. ThLL 0,2,577,27-30: *aringus, -ī m. piscis. Ps.GARG.MART. app. 62 p.209 capiuntur pisces natura pingues, ut sunt salmones . . . et sardinae vel aringi (haringi codex alter). cf. Rose, Hermes 8 (1873) 226. [theodisce häring, anglos. herring. Th. it. aringa, francog. harenc. M.-L.] V. cfr <http://ducange.ens.sorbonne.fr/arengus>: “2. **Hareng**, Harengum, Harengus, Piscis species, Gallice *Haran*. Processus de Vita S. Thomae Aquin. tom. 1. Martii pag. 689: Si haberem Harengas recentes, comedrem. - Charta ann. 1324: Item tria millia Harengorum apud Pontaudomarum in Brotonia. Computus ann. 1202. apud D. Brussel de Usu feud. tom. 2. pag. Clxxxviii: Pro Harengio et sale empto viii. l. viii. s. Andegav.“*

Aringus ab ichtyologis modernis appellatur *Clupea harengus*. Qui est piscis unus ex frequentissimis huius mundi, unus ex piscibus edulibus maximi momenti et pertinet ad familiam *Clupeidarum*. Aringus antiquitus capitur praesertim in eis locis, ubi prolem propagat. Multae urbes sunt conditae in propinquuo locorum, quae examina aringorum praeternatabant aut in quibus eadem prolem propagabant. Pro **Hansâ Teutonicâ**, i.e. sodalitate mercatorum Germaniae borealis mediaevali (12. - 17.saec.) aringus fuit merx una ex praestantissimis.



Usque ad initium vicesimi saeculi *Clupea harengus* tam frequens erat, ut haberetur pro „cibo hominum pauperum“. At hodie numerus aringorum Maris Baltici piscatione exaggeratā et problematis oecologicis insigniter deminutus est. *Clupea harengus* in Germaniā annis 2021 et 2022 denominatus est PISCIS ANNI. - Haec species piscium habitatum incolit Borealis Maris Atlantici latissimam, quae pertingit a Sinu Cantabriensi in Mare Balticum et in septentrione in Oceano Arcticō usque ad *Spitzbergen* et *Nowaja Semļja*. In directionem occidentalem habitatum aringorum pertingit per Islandiam et Grönlandiam austro-occidentalem usque ad litora Carolinae australis. *Clupea harengus* vivit in profunditate maximum 360 metrorum et in zonā pelagicā et prope litora.. - Hic piscis gracilis et in lateribus planatus assequitur longitudinem corporis circiter 45 centimetrorum et pondus corporis ferē unius chiliogrammi, sed plerumque manet minor. Rostrum magnum, aliquantulo superius, desinit ante marginem posteriorem oculorum pellucidis palpebris pinguibus instructorum. Dorsum est colore chalybeo, obscurē-cinereo vel viridiolo, cum latera et venter sint colore argenteo. Pinnae ventrales sunt albulo-pellucidae. Basis et margo superior pinnarum pectoralium sunt colore obscuro. Pinna dorsalis brevis et pinna caudalis profundē furcata apparent obscurissimē coloratae. - *Clupea harengus* agminatim vivit; agmina partim sunt numerosissima. Hic piscis primo se nutrit phytoplankton (algis), postea zooplankton, velut cancrulis, cochleis pelagicis, larvis piscium, quos aspectos venatur et ope nassae branchialis ex aqua colat. Organum epibranchiale est deminutum. Si plancton sibi circumvagans est sat frequens, aringus per aquam natat ore et branchiis late apertis, ut plancton recipiat aquam percolando. Haec percolatio non interrupitur nisi breviter deglutiendo. - Tempore diurno aringus praecipue in stratis aquae versatur profundioribus, cum noctu planctonem sequitur superficiem petentem. Stomachis aringorum adultorum disquisitis apparuit has bestias autumno loco planctonis devorare pisces. Usque nunc ignotum erat aringos se nutrire etiam piscibus. - *Clupea harengus* potest sonos êdere eosque audire.



CLUPEA HARENGUS

Quia vesica natatoria cum aure mediâ coniuncta est, aringus bene audit – sed non ultrasonum, qualem balaenae dentatae adhibent ad locum inveniendum. Soni imprimis noctu efficiuntur eo quod gasum emittitur ex poro vesicæ natatoriae ante anum sito. Finis huius actionis adhuc parum certus est; sed quia generatio horum sonorum pro magnitudine agminis augetur, haec actio potest explicari methodus communicandi. -



Tempus prolis propagandae pro populatione vehementer variatur. Copulatio Clupeae harengi fit prope litus in profunditate 40-70 metrorum, plerumque in strato transitorio aquae litoralis et aquae profundioris atque salis abundantioris. Feminae pariunt circiter 20.000-50.000 ovorum, permagnae feminae per exceptionem ova 1,2-1,5 milimetra magna. Fecundatio autem a maribus fit in aquâ apertâ. Parentes non curant prolem suam. Ova fecundata sunt glutinosa et in fundum delabuntur, ubi adhaerescunt ad lapides et plantas et invicem inter se adhaerescunt. Temperatura 9 graduum Celsianorum larvae post duas septimanas excludantur, sed temperaturis calidioribus maturescentia abbreviatur. Larvae 7-9mm longae ascendunt ad superficiem lumen sequentes. Post fere septimanam sacco vitelli comeso eadem incipiunt se cancerulis nutrire. Cum habent longitudinem corporis 15-17mm, larvae efformant pinnam suam dorsalem. Pinnae anales et ventrales et crena pinnae caudalis apparent, cum aringi sunt circiter 3cm longi. Cum aringuli 4 ferè centimeta longitudinis assecuti sint, squamae eius formantur et suboles incipit similis fieri parentibus. Post 3-4 annos pubescunt pisces iuveniles. Clupea harengus assequi potest aetatem plus viginti annorum. - Per multis speciebus bestiarum *Clupea harengus* multum valet ad nutritionem: aringi non solum ab hominibus comeduntur, sed a compluribus speciebus *gadorum*, *thynnorum*, *scombrorum*, *phocarum*, *balaenarum*. - Captura aringorum in Mari Baltico facta multum valuit ad vim *Hansae* unionis mercatorum oeconomicam augendam. Medio aevo aringus nutrimentum proteinorum abundans et cibus ieunii gratissimus erat, praeterea saliendo fiebat diu durabilis et facile transportabilis. Tempora ieunandi mediaevalia complectebantur tertiam ferè partem anni. - Propter productionem aringorum salitorum strata est *Via Salis Antiqua* et canalis *Stecknitz* inter *Albin* et *Traveam* sita, qua afferebatur *sal Luneburgensis* per *Lubeccam* in *Schonen* regionem *Suetiae*. - Conventis pictionis internationalibus effectum est, ne Oceani Atlantici *Clupea harengus* periclitetur (e contrario timetur, ne nimium diminuatur numerus piscium speciei, q.e. *Gadus morhua*).



ECCE ARINGI CONVOLUTI
qui theodisce „*Rollmöpse*“ appellantur

Nuntius ephemeridis de aringis scriptus. <http://www.alcuinus.net/ephemeris/archi2007/nuntius1.php?id=294>:

PISCES SUFFOCATI Aringorum stragem ingentem in insulâ Syltâ factam. Plus unus milio, i.e. decies centena milium aringorum mortuorum allutus est ad litus insulae Sylt occidentale. Verisimile est has bestias, cum scombros fugerent, esse suffocatos – quia tempestate calidâ creverant nimis multae algae. *Westerland ex oppido* – Verisimile est tempestatem calidam his piscibus fuisse pernicie. Astynomi tutelae aquatice Husumenses nuntiaverunt aringorum mortuorum „numerum esse insolito magnum“. Ut procul dubio inveniretur causa huius stragis piscium, nunc aquam perquisitum iri.



**Sylta insula Maris Germanici:
Strages piscium die Veneris
facta**

Sed astynomi iam suspicati sunt, qua de causa facta esset istaec strages piscium: *Wolfgangus Boe*, locutor astynomorum tutelae aquaticea Husumensis, dixit fortasse algis ante Syltam insulam boreo-frisanam insolito abundantibus portio oxygenii in aquâ marinâ tantopere deminuta esset, ut aringi suffocarentur. Analysis laboratorii factum iri, ut res certo cognosceretur. *Norbertus Grimm* plâgas insulae tutari iussus dixit ex diebus flare ventum orientalem. Quo vento aquam superficialem ab insulâ esse abactam. Aquam autem post illam fluentem propter algarum abundantiam partim esse oxygenii valde egenam. Fieri potuisse, ut examen illud aringorum iuvenum – fortasse scombros fugientium – veniret in hanc aquam ascendentem. Strages aringorum facta est in parte litoris, quae sita est *Westerland* et *Wenningstedt*. *Hanc relationem d.08. m.Iunii, h.16.41, a.2007 in periodico interretiali „Spiegel online“ inventam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûisque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Scriptus Nicolaus Gross*



Narratiuncula aviae meae ad aringos spectans. Memini aviam meam narrasse tempore nacistarum (1933-45) in vico suo quandam aliquando venditorem hilarem et iocosum clarâ voce pisces suos praebuisse praecognitione homoeoteleuticâ, quae fuit: „*Hering, Hering, so dick wie der Göring!*“, i.e. *Aringos, aringos (emite), tam crassos quam Göring!* Quibus verbis rettulit ad obesitatem stupendam *Hermann Göring* (1893-1946), ministri militiae aeronauticae (ab a.1933) et oeconomiae (ab a.1936). Postquam hoc bis terve fecit optimo cum successu, biocolyta quidam certior factus aringorum venditori clamoso vehementer minatus est: ne umquam denuo ludibrio haberet nomen viri honestissimi; alioquin ei imminere poenam severissimam. En miserum piscipolam! Quid nunc fecit? Callidê vitavit nomen vitandum, sed rem retinuit praecognitionem. Nunc proclamavit voce clarissimâ: *Aringos, aringos, tam crassos quam (fuerunt) septimanâ praeteritâ!* Hanc historiolam mihi puero narravit avia mea *Anna Detzler*, nata e gente *Rupp*, quae totam suam vitam centenariam degit in vico *Etzenhofen* Saraviensi, qui interim iam pridem pars est oppidi *Püttlingen*; et affirmo tibi, cara Lectrix, care Lector, eandem fuisse animam candidissimam. Haec hactenus de aviâ meâ deque aringis piscibus. ---

ARBOR MANGIFERA

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

arbor *mangifera

259

Mango – mango – mangue – mango - mangoNOMEN SCIENTIFICUM. *Mangifera indica*. NOMEN POMI. →**manga*, -ae f..

ARBORES MANGIFERAES, EX QUIBUS PENDENT MANGAE.

TESTIMONIUM. Ludovici Romani Patricii (sive Ludovici de Varthema Bononiensis), Navigationis Aethiopiae, Aegypti, utriusque Arabiae Persidis, Syriae ac Indiae intra & extra Gangem, Archangelo Madrigiano interprete., in: Novus orbis regionum ac insularum Veteribus incognitarum. Basileae 1532, p.245 “**Amba**. Est item fructus alius, **amba** nomine. Eius caudex **manga** dicitur, simillima est arbori, frequentesque ut piro fructus: is iuglandem nucem e nostris effingit, quum iam sunt absoluti: quum maturescit, fulvi eiusdemque splendens coloris est: intra corticem occultatur fructus, ut amygdalae aridae: Damasceno gustu suavior est fructus: conduntur in cadi, ut apud nos olivae, sed sunt longe meliores.” -


Caroli Linnaei Species plantarum exhibentes plantas rite cognitas, ad genera relatas etc., vol.1, Holmiae 1753, p.200: “MANGIFERA, indica. I.MANGIFERA. Mangifera arbor. Bon. Jav.95, Fl. Zeyl.471. **Manga indica**, fructu magno reniformi. Raj. Hist. 1550. Persicae similis, putamine villoso. Bauh. Pin. 440. Mao s. Mau 5. Manghos. Rheed. Mal.4.p.1. t.1.2. Habitat in India. Racemus compositus, brachiatus; an flores omnes hermaphroditi?” - cfr <https://la.wikipedia.org/wiki/Mangifera>: “*Mangifera* est genus plantarum familiae Anacardiacearum, ad quod triginta fere species arborum pertinent. In Asia (praecipue in India, Birmania, Sri Lanca, Bangladesia) indigena est. Fructus, manga appellatus, magnum momentum in victu et arte coquinaria hominum in toto mundo habet. “ - **altera forma:** **mangus* «*Mango (fruto)*» in Iosephi Ioannis del Col *Diccionario Auxiliar Español-Latino*, pg. 655. Sinu Albo, apud Institutum Superiorum cui nomen «*Ioannes XXIII*», 2007 (Hispanice) et Davidis Morgan et Patricii Oeni *Neo-Latin Lexicon* (2018). cfr <https://la.wikipedia.org/wiki/Mangus>: “*Mangus* est drupa a multis arborum tropicarum speciebus genita, quae ad *Mangiferam* pertinent, genus plantarum florentium, plerunque fructuum edulium causa cultum.”

ETYMON. Nomen fructū primo in litteris Europaeis commemoratur in *Itinerario Ludovici de Varthema Bononiensi a.1510* edito, quod primo ab auctore scriptum est Italicē, sed paucis mensibus postea Latinē redditum. Ibi indicatur ‘**manga**’ nomen caudicis, sed ‘**amba**’ nomen fructū (v. supra →TESTIMONIUM). Nomen botanicum, q.e. *Mangifera indica*, a *Carolo Linneo* confictum est. Qui indicat in opere suo, c.t. *Species plantarum*, vol.I, Holmiae 1753, p.200 post nomen suum systematicum fontem, qui sequitur: “*Manga indica, fructu, magno reniformi. Raj. hist.1550.*” Ergo invēnit nomen fructū, quod est **manga**, -ae f. Ludovicus ille Bononiensis hoc **nomen arboris** aut accepit a *Lusitanis* (manga) aut ab *Indonesiis* (mangga); vetustissima radix huius nominis est *dravidica* (familiae linguarum austroindicae): cfr *tamilicē māñ-kāy* (i.e. “*Mangifera*”- “*fructus*”), *malayalamicē māñña*, i.q. “*fructus Mangiferae immaturus*”. Sed Ludovicus indicat fructū nomen esse **amba**; quod invenitur adhuc in neoindicis linguis, e.g. in linguā Marathi: *āmbā* (अंबा), in linguā Hindi: *āma* (v. infra) et ducitur a nomine huius fructū sanscrito, q.e. *āmra(m)* (v. infra!)



Arbor mangifera (*Mangifera indica*) est planta tropica. Genus botanicum, q.e **Mangifera**, spectat ad familiam **Anacardiacearum**. Haec arbor persaepe colitur; adhibentur eius poma et oleum ad usum culinarem et medicinalem. - Arbor mangifera semperviridis celeriter crescens interdum (raro) altitudinem assequitur 35 metrorum, eius culmen latum et rotundum diametrum, si maximum, 30 metrorum. Stipitis diameter est plus unius metri. Haec arbor efformat profundas radices palares. Cortex primo est colore lucidê viridi, sed in arboribus vetustioribus oritur rhytidoma crassum, griseo-fuscum, quod est scissuris longitudinalibus et postea decidit formâ squamarum rectangularium. Saepe in scissuris apparent vestigia suci albi, cummi similis. *Mangifera* cum sit sat durabilis, potest ferre fructûs per plus 300 annos.

Folia simplicia, rigidula et cerea, fulgida, coriacea, glabra et acuta, partim caudata et petiolata sunt longitudinalia, lanceolata vel ovata, margine integro, partim undato. Folia spiralia aut verticillata sunt longitudine maximâ 30cm, latitudine 7cm. Nervatura est pinnata, costa media lucidê viridi. Petiolus lucidê viridis in basi est incassata (pulvinus) et 2-8cm longus. Stipulae desunt. Insignis est renovatio frondis. Inter frondem vetustam obscure viridem singuli rami apparent recenti fronde lucida instructi, folia nova primo laxa dependent et sunt colore rubeolo, salmoneo, sed mox fiunt in superficie obscurê viridia, inferiore lucidiora.



Flores. *Mangifera indica* est andromonoeca, i.e. in inflorescentiis mixtim efformantur flores et masculini et gynandrici. In inflorescentiis terminalibus aut axillaribus, magnis, 20-35cm longis, longis et satis ramificatis, rubeolis, paniculatis, pyramidalibus permulti flores (maximê 6000) brevistylî unâ stant. Styli inflorescentiae sunt viriduli vel rubeoli. Flores relativê parvi, albi-flaveoli usque rosacei vel rubeoli, pentapetali, perianthio dupli instructi fragrant, si aperiuntur, lilia. Sepala parva, acuta vel rotundo-acuta, plus minusve pilosa sunt viridula et ovata. Petala parva, intra fimbriatê maculata (glandulae) et rotundata sunt 4mm longa. Flores

Flores sunt disco magno, viridi-albeolo, carnosus, lobato; praeter 1-2 stamina fertilia etiam staminodia breviora. Gynaecium superius et unicameratum, glabrum florum gynandricorum est globatum brevistylatum; in floribus masculinis est atrophiatum. Postquam flores marcuerunt, tria vel maximâ sex menses transeunt, dum fructûs sunt matura. **Pollinatio** fit aut vento aut insectis (muscis, apibus, thysanopteris). - **Manga**, i.e. fructus Mangiferae indicæ maturus, 20cm longus er 6-8cm latus, inaequaliter ovatus vel piriformis, interdum rostriformis longo petiolo pendet ex arbore et pondus habet 2 kg. **Fructûs** aut singuli aut plures apparent. Drupa est putamine tenui, laevi, cereo-coriaceo, cui subest pulpa pro gradu maturitatis molli aut interdum fibrosa, flavo-arancia, quae circumcludit magnum sclerocarpium planatum et albeolum, ligneo-fibrosum et pilosum, cui inest semen paulo minus, planum, fuscum. Sclerocarpium puluae bene adhaeret et difficile est exsolutu. Color fructus variatur a virore per flavedinem usque ad ruborem, saepe etiam invenitur horum trium combinatio. Fructus depellatus est forti fragrantia atque sapore aromatico-dulciolo. Semina sunt tenui testa chartacea et tegmine. Semina sunt mono- aut polyembryonalia neque resistant arefactioni, itaque non diu possunt recondi. Numerus chromosomatum est $2n = 40$ aut 24. *Mangifera indica* oriunda est ex regione inter Assam indicum et Myanmar (Birmaniam, *manga indica*) sita aut ex Borneo (*manga philippiniana*) et est silvae pluviosae tropicae incola indigena. Hodie *Mangifera indica* colitur in multis partibus mundi, etiam in Civitatibus Unitis, in Mexico alissque terris Americae mediae et meridionalis. in insulis Caribicis, in zona Africæ tropica (velut in Kenia et ad Litus Eboris), in latis partibus Asiae (velut in Thailandiâ, in Philippinis, in Pacistaniâ, quae est exportatrix mangarum tertia a maximâ omnium totius mundi) et in Australiâ. India, quae 10-15 miliones tonnarum mangarum producit, adhuc est productrix principalis horum fructuum. In Europâ arbores mangiferae præcipue in Hispaniâ coluntur, ibidemque præsertim in Litore Solis et in Insulis Canariis. Cultus mangiferarum est difficilis, sed hortulanis otariis etiam etiamque magis placet. Si mangiferae in zonis climatis frigidioribus in conclavebus aut xystis coluntur, solent nullos fructûs ferre, quia pleraque species ad fructûs ferendos genti aëris temperaturis et umoribus constanter magnis, quales in habitacolorum solita temperatura non sunt. *Mangifera philippinica* ad abundantiam aquae est assuefacta, sed eget maioribus quantitatibus luminis. - Sucus lacteus corticis et foliorum cutem irritat ideoque

efficere potest *dematitidem mangae* aut *chilitidem*, i.e. labiorum inflammationem. Irritationes hōc suco effectae similes sunt „morbo laccario“, qui efficitur laccā sinicā. Eadem autem conficitur ex suco vulneris arboris laccario, alterius speciei familiae Anacardiacearum. Etiam aliae Anacardiaceae, velut *Toxicodendron radicans* e.al.continent in suco suo lacteo similia *urushiola*, quibus fortis fit irritatio. Quia allergena *Mangiferae* sunt similia allergenis *Toxicodendri*, facile fit *allergia cruciata* (quae est allergia, quae non solum fit contra unum certum allergenum, sed etiam contra alia).

Etiam putamen mangarum immaturarum continet *urushiola*. Saepe inter mangas carpendas suco e locis abruptonis, ex petiolis extremis destillato aut ejecto fructus contaminatur. Homines allergici subeunt magnum periculum, si mangae contaminatae non depellatae elinguntur. Ita saepe fit in terris, ubi fructus recentes carpuntur, ut permulti homines mangas comedentes laborent irritatione perorali (qualis in Australiā appellatur „mango-rash“). Nam substantiis allergenicis, quae insunt putamini mangae, effici potest sensibilificatio aut – in hominibus iam sensibilificatis – excitari potest reactio. At fructūs deglupti vacant a talibus substantiis ideoque sine ulla dubitatione etiam comedī possunt ab hominibus, qui allergici sunt contra toxicodendrum. - Etiam in ligno arboris mangiferae tractando (sucus ligni, serrago), ramis violatis et diruptis, si quis in arbores mangiferas nititur, aut fumo mangiferarum ardentium firi possunt irritationes. - Mangae in numerum pomorum referuntur. Interim iam sunt plus mille varietates mangiferarum, quae inter se differunt mangarum forma, magnitudine, sapore. Qui fructūs ita pertractantur, ut fiant sucus, poma cocta, marmelata, gelata necnon liquamina (linguā hindicā चटनी cañī; urduicā چٹنی) et salgama (linguā hindicā अचार acār; urduicā اچار; teluguicā అవకాయా āvakāya). - In Europa mangae ex nonnullis annis continuo prostant venales, quamquam pressionis sunt impatientes ideoque difficiles transportatu. Maturitas mangae eo cognoscitur, quod fragrat digitoque prementi facile recedit. Mangae sunt maturimae, si in fructu cognoscuntur puncta nigra, quae sunt diametro 1-4mm. - A medicis disputatur, num mangae sint effectu antiphlogistico, antidiabetico, antivirali. Praeterea iidem fructūs feruntur intestina sedare, quia facile digeruntur et acidorum paene expertes sunt. In Indiā mangae dicuntur valere ad sanguinis effluxm sistendum et cor corroborandum. Quia multum continent vitamini C, mangae sunt remedia infectionum et perfrictionum prophylactica. - Ex *seminibus* mangarum fabricatur pinguamen, quod simile est butyro cacaotico. Quod pinguamen mangarium adhibetur ad socolatam et margarinum, sed etiam ad ceromata cutanea, sapones crinales aliaque medicamina cosmetica fabricanda. - In *Insulā Timor foliis* arboris mangiferae textilia more tradito confecta (*tais*) colorantur, ut colores orientur virides. - *Lignum* arboris mangiferae, quod est ponderis medii, durum, crassum, sed non durabile, ad varios usūs adhibetur. - In *Vedis* Hinduorum, qui scripti sunt circiter a.1200 a.Chr.n., manga commemoratur *cibus deorum* esse. Hodie adhuc manga deis offertur signum divitiarum et dulcedinis divinae. - In Europam hic fructus allatus est saec.16. a Lusitanis nautis in Indiam navigantibus. Primum in linguā europaeā commemorantur et arbor et fructus arboris mangiferae a.1510 in *Itinerario Ludovici de Varthema Bononiensi* (v. supra: TESTIMONIA, ETYMON). Idem Italus Ludovicus nomen fructum affert, q.e. *amba*, nomen caudicis *manga*; miror, quod auctores posteriores quodam errore nomine *amba* omissio ad fructum denominandum adhibent nomen *manga*.



Mangifera indica a Michael Boym
in libro, c.t. Flora Sinensis
adumbrata (a.1656).

LAUS MANGAE INDICA. Manga est *Indiae* fructus nationalis. Item est nationalis arbor *Bangladesiae*. In Indiâ messis et mercatura mangarum fiunt a mense Martio usque ad Maium deque iisdem quotannis publicê nuntiatur atque refertur. Mangifera indica multum valet ad cultum civilem traditum Asiae meridionalis. *Ashoka* Imperator Maurorum in edictis suis verbis effert iuxta vias imperiales plantandas esse arbores fructûs et umbras ferentes: »*Iuxta vias iussi plantandas esse ficûs benghalenses, ut darent umbram pecoribus hominibusque, (et) arbores mangiferas*«. In Indiâ mediaevali *Amir Khusrow* poeta indopersicus mangam appellavit verbis q.s. »*Naghza Tarin Mewa Hindustan*« – *Hindustaniae fructus maximê amabilis*. In aulâ Dehliensi Sultani *Alauddin Khijli* aulici fruebantur mangis. *Imperium Mughalianum* perquam superbiebat his fructibus: *Babur* praedicat mangam in opere suo, c.t. *Babarnameh*. Eodem tempore *Sher Shah* Suri, postquam victoriam peperit de *Humayun* Imperatore Mughalico, curavit *Chaunsa* (linguâ urduicâ: جو نسا; linguâ hindicâ: चौसा), i.e. novam mangae varietatem, creandam. Horticultura mughaliana aliquot milia varietatum exorta sunt, e.g. varietas mangae totapuriana, quae prima omnium, quae in Iraniam et Asiam Centralem sunt exportatae. *Akbar* (1556–1605) dicitur prope *Darbhangam* (Bihar) plantavisse hortum centum milium arborum mangiferarum, *Jahangir* et *Shah Jahan* iusserunt plantare hortos mangiferarum in Lahore et Delhi necnon mangis conficere mensas secundas. *Ambika*, quae est dea religionis *jainisticae* more tradito pingitur sub arbore mangiferâ sedens. Flores mangiferae adhibentur in cultu deae *Saraswati* venerandae. Foliis arboris mangiferae decorantur porticûs et ianuae in domibus indicis inter nuptias et sollemnitates, qualis est *Ganesh Chaturthi*. In variis generibus Indicae acupicturae imagines arboris mangiferae eiusque fructuum passim illustrantur et inveniuntur in anaboladiis et amictoriis collaribus Kashmirianis et Kanchipurensibus et vestibus saricis (साड़ी sāṛī) serico textis. In regione *Tamil Nadu* manga propter dulcedinem fragrantiamque suam refertur in numerum trium fructuum regalium, unâ cum *Musa paradisiaca* et *Artocarpus integrifolia*. Haec trias fructuum regale denominatur verbo composito, quod est *ma-pala-vazhai*. *Kâlidâsa*, sanscritae litteraturae classicae auctor illustrissimus laudem cecinit mangarum. - *Heather Timmons* a.2012 scripsit, quantum valeant arbor mangifera eiusque fructus in *Indiae* mythis et litteris. Verba Timmonsiana Anglica Leo Latinus his ferê verbis reddidit Latinis: „Per saecula auctores Asiae meridionalis inspirabantur arboris mangiferae fructu et flore et folio, describebant tempora mangas metendi celebranda et fabulas romanicas mente confingebant, quae appellabantur „*fabulae vestis saricae et fructus mangae*“.

FABULA VIRI SAPIENTIS NARADI: De mangâ aureâ. Aliquando Dominus **Shivus** (शिव Śiva) relaxabatur in monte *Kailash* (कैलास, *Kailāsa*) unâ cum uxore suâ Deâ **Parvatia** पार्वती, *Pārvatî* et filiis, qui sunt Dominus **Ganeshus** (गणेश *Ganeśa*) et Dominus **Kartikeyus** (कार्त्तिक्य, *Kārttikeya*). Subito sapiens **Naradus** (नारद मुनी, *nārada munî*) apparuit coram Domino Shivo eumque coluit atque veneratus est. Notum autem erat Naradum sapientem quandam difficultatem insolitam afferre, quocumque veniebat et etiam hòc tempore visus est talem rem allaturus esse.



Naradus enim manibus secum attulit mangam aureum, quam tradidit Domino Shivo. - Idem deus autem stupefactus: »Quare inquit, »e longinquo huc venisti, ut mihi dares hanc mangam?« - »Hic fructus« respondit ille, »non est manga vulgaris. Haec est manga aurea cognoscentiae et quicumque hanc mangam comederit, assequetur scientiam aeternam et

sapientiam. At non licet comedere hunc fructum nisi sub quadam condicione». Tum Dominus Shivas fructum dissecans in partes quattuor statim desinit hoc facere et morosè dixit: »Nonne hoc suspicatus sum? Si Narada alicui aliquid dat, iam imminet aliqua condicio et certo scio subesse aliquam difficultatem molestam«. Deinde illum rogavit: »Dic mihi, Narada, qualis sit condicio, sub qua liceat hunc fructum comedere!« - Nunc Naradus subridens: »Hunc fructum« inquit, »comedere licet uni tantum homini« - Cum Naradus Shivo explicabat qualis ille fructus esset, Parvatia et Ganeshus et Karteyus ibi apparuerunt. Manga aurea conspecta uterque puer cupivit eandem comedere. Uterque voluit se praestare superiorem, ut sibi liceret comedere mangam auream. Shivas in difficultatem adductus est, quia noluit unum filium alteri praeferre neque hoc voluit Parvatia. Itaque decreverunt, ut ad hanc rem decernendam converterent ad Naradum. Itaque Shivas: »Filii mei« inquit, »Naradus Sapiens decernet, uter vestrum accipiat mangam«. Tum Naradus Sapiens: »Audite pueri« inquit, »is qui primus mundum ter circumvectus erit, accipiet hunc fructum«.



**ECCE KARTIKEYUS
PHASIANO VEHENS**

Naradus sermonem suum nondum finivit, cum Kartikeyus sine morâ ascendit vehiculum suum, quod fuit phasianus, (मयूर mayūra) et e conspectu evasit. Ganeshus autem remansit in loco ubi fuit vultu cogitabundo. Tum Parvatia eius mater sollicita: »O Ganesha!« inquit, »mi fili, nonne vis abire mundum circumvecturus?«. Deinde Ganeshus: »Exspecta, mater« inquit, »Sine me cogitare« respondit. - Hôc momento temporis Kartikeyus celerrimê accurens clamavit: »Semel iam circumvectus sum. Audi, Ganeshe, age, saltim proficiscere! Nolo victoriam parere tam facilem!« Kartikeyus pro certissimo habuit se victoriam paritum esse. Eius vehiculum fuit phasianus, cum Ganeshus vecturus esset modesto mure (मूष mūṣ), necnon Kartikeyus ipse primum orbem iam confecit, sed Ganeshus adhuc sedebat in Monte Kailash.



**ECCE GANESHUS
MURE VEHENS**

Eo tempore Ganeshus decrevit, ut hac in competitione evaderet superior. Modo erat surrecturus, cum Kartikeyus iterum accurrit clamans se iam confecisse orbem suum alterum, restare sibi unum tantum orbem, dum victoriam pareret. Ganeshus lentê graditur ad parentes suos et coram iisdem venerabundus curvâtâ cervice humi paene affixus est. Deinde ter circumiit parentes suos. Shivas atque Parvatia obstupefacti ex Ganesho quaeiverunt: »Puer, credideramus te circumcursorum esse mundum, quid nunc pro mundo circumeundo nihil circumis nisi nos?« - Responso Ganeshi accepto vehementer mirati sunt: Filius enim: »Vos, parentes mei, estis meum universum et totus mundus meus. Itaque vobis circumeundis circumii totum mundum«. Haec verba faciens Ganeshus finivit tertium orbem circa parentes factum, cum subito Kartikeyus tertio mundi orbe finito advénit montem Kailash.

»Vici, vici!« Kartikeyus iubilavit. »Ganeshe, tu adhuc hic es, cum ego ter iam circumcurrerim mundum!« - Tum Dominus Shivas: »Ita« inquit, »non est. Ganesha est victor«. - Deinde Kartikeyus indignatus: »Quid?« inquit, »Quid hoc sibi vult? Frater meus adhuc hic erat, cum ego iam confeci omnes orbes tres«. - Post Dominus Shivas explicavit, quid Ganeshus fecisset eique fructum tradidit. Kartikeyus stomachatus est, quod a fratre deruncinatus esset, sed non potuit, quin ferret rem ferendam, nam Ganeshus rectê iustêque egerat ideoque demonstraverat se multo intelligentiorem esse quam illum.



ECCE GANESHUS MANGAM AUREAM
ACCEPIT, CUM KARTIKEYUS
SPE DECEPTUS SIT.



Mangae sunt obiecta invidiae, rivalitatis necnon symbola status socialis Indorum neoplutorum. Subest mythos palaeoindicus illius *Kāmadēva*, Amoris dei Indorum, qui iaculatur sagittas quae cuspide sunt florali, in deos et in homines, quibus excitantur voluptas et amor. Una ex quinque sagittis, quae flore arboris mangiferae est instructa, dicitur esse perquam potens. Eius potestas describitur in *Calidasi* poetae classici illustrissimi saeculi quarti p.Chr.n. dramate praecipuo, quod inscribitur „*Shakuntala*“ (कालिदास, *Kālidāsa*, i.e. verbatim: „minister deae *Kāli*“; अभिज्ञानशकुन्तल *Abhjñānaśakuntala* „*Recognitio Shakuntalae*“; शकुन्तला *Śakuntalā*, est nomen puellae, quod dicitur a शकुन्त *śakunta*, i.e. „avis“, quia haec puella dicitur esse in silvâ exposita primum educata esse ab avibus.

KALIDASA, ŚAKUNTALA, ACTUS VI: LAUS FLORIS ARBORIS MANGIFERAЕ



प्रथमा --

आताप्रहरितपाण्डुर जीवितसर्वं वसन्तमासस्य (योः) । ātāmra-harita-pāṇḍura jīvita-sarvam̄ vasanta-māsasya (yoh) /
PRIMA (sc. famula): O flos mangiferae, (qui es) colore rubeolo-viridi-albulo, tota vita temporis vernalis,

दृष्टेऽसि चूतकोरक ऋतुमङ्गलं त्वां प्रसादयामि ॥२॥

dr̄sto 'si cūta-koraka ṛtu-māṅgala tvām̄ prasādayāmi //

visus es (a me); Propitio te, veris prosperum (praenuntium)!

द्वितीया -- परभृतिके किमेकाकिनी मन्त्रयसे ।

dvitiyā -- parabhr̄tike kim ekākinī mantrayase /

SECUNDA (sc. famula): O Cucula, quid mussitas?

प्रथमा -- मधुकरिके चूतकलिकां दृष्ट्वोन्मत्ता परभृतिका भवति ।

prathamā -- madhukarike cūta-kalikāṁ dr̄ṣṭvā+unmattā parabhr̄tikā bhavati /

PRIMA: O Melissa, desipit cucula flore mangiferae viso.

द्वितीया -- (सहर्षं त्वरयोपगम्य)

dvitiyā -- (saharṣam tvarayā+upagamya)

SECUNDA (*laeta appoperat*)

कथमुपस्थितो मधुमासः ।

katham upasthito madhu-māsah /

Quid? Iamne coepit mensis mellis?

प्रथमा -- मधुकरिके तवेदानीं काल एष मदविभ्रमगीतानाम् ।

prathamā -- madhukarike tava+idānīm kāla esa mada-vibhrama-gītānām

PRIMA: O Melissa, hoc est tempus, quo (mel) sugis et cantas et comissaris.

द्वितीया -- सखि अवलम्बस्व मां यावदग्रपादस्थिता भूत्वा

dvitīyā -- sakhi avalambasva mām yāvad agra-pāda-sthitā bhūtvā

SECUNDA: Amica, adiuva me, dum sto summis digitis

चूतकलिकां गृहीत्वा कामदेवार्चनं करोमि ।

cūta-kalikām grhītvā kāma-deva-arcanaṁ karomi /

et carpo florem mangiferae deoque Amoris dedico.

प्रथमा -- यदि ममापि खल्वर्धमर्चनफलस्य ।

prathamā -- yadi mama api khalv ardham arcana-phalasya /

PRIMA: (Faciam), si quidem mihi (erit) dimidium fructūs dedicationis.

द्वितीया -- अकथितेऽयेतस्सम्पद्यते यत एकमेव नौ जीवीतं

dvitīyā -- akathite 'py etat sampadyate yata ekam eva nau jīvītam

SECUNDA: Hoc scilicet fit etiam sine pacto, quia una nostri vita

द्विधास्थितं शरीरम् ।

dvidhā-sthitam̄ śarīram /

quamquam duo corpora.

(सखीमवलम्ब्य स्थिता चूताङ्करं गृह्णाति)

(sakhīm avalambya sthitā cūta-añkuram̄ grhṇāti)

(In amicā nitens stat et carpit florem mangiferae)

अये अप्रतिबुद्धोऽपि चूतप्रसवोऽत्र बन्धनभङ्गसुरभिर्भवति ।

aye apratibuddho 'pi cūta-prasavo 'tra bandhana-bhaṅga-surabhir bhavati

Ecce! Etiamsi flos mangiferae nondum effloruit, hīc pedunculo rupto êdit fragrantiam.

(इति कपोतहस्तकं कृत्वा)

(iti kapota-hastakam̄ kṛtvā)

(Palmas manuum cavas componit) (verbatim: manus columbae)

त्वमसि मया चूताङ्कर दत्तः कामाय गृहीतधनुषे ।

tvam asi mayā cūta-añkura dattah kāmāya grhīta-dhanuṣe /

Tu es a me datus, o flos mangiferae, Amori qui arcum corripuit

पथिकजनयुवतिलक्ष्यः पञ्चाभ्यधिकः शरो भव ॥३॥ pathika-jana-yuvati-lakṣyāḥ pañca-abhyadhikāḥ śaro bhava //

Tu fi optima ex quinque sagittis, cuius scopi sunt iuvenes uxores virorum peregrinantium !

VENERATIO FRUCTŪS MANGAE MAOISTICA. In Chinā *Mao Zedong* (毛澤東/毛泽东, *Máo Zédōng*² 1893-1976) dictator cum esset (ex a.1943), exortus est *cultus mangae* quodammodo religiosus ingens atque incredibilis, postquam *Mian Arshad Hussain*, Pacistaniae minister rerum externarum (1910-1987), a.1968 cistam 40 mangis fructibus completam dono dedit Maoni. Ídem Magnus Dux factionis operariorum agricolarumque incomparabilis mangas curavit distribuendas gregibus operariorum, qui traduntur ignoto fructu aspecto animis inflammatis exclamassem et cantasse, quod donum accepissent a Magno Duce Amatissimo.



Postea *cultus mangae* effrenatē atque furiosē celebratus est necnon mangae distributae formalino conservati sunt, ut etiam posteritati licet helluari aspectu fructuum Ducas Magni. Fabricata est stupenda multitudo mercium praeconationis propagandae, velut vasa comesoria et lavatoria, quibus imagines *mangae* erant impressae, fibulae *mangarum* imaginibus ectypis decoratae, mensulae fucandi *manganatae*, spones fragrantiam *mangae* exhalantes, sigarella *mangariae* necnon panni et lintea lectularia imagine *mangarum* impicta. Tanta erat pietas fructūs Maoniani religiosē colendi, ut quidam medicus miserrimus mangas, qua erat profanitate, comparans cum *batatis* sive dulcibus pomis terrestribus, puniretur suppicio capitali. O quantus furor religiosus in societate atheisticâ!



ECCE MANGA MAONIS DONUM VENERABILE

ARSENICUM QUID SIT

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

arsenicum, -ī n.

812

Arsen – arsenic – arsenic – arsénico – arsenico

i.q. elementum chemicum numeri ordinalis 33, propter vim suam toxicam famosum.

TESTIMONIA: cfr Carl Ferdinand Kleinert, De arsenico atque reagentium in id usu, Lipsiae 1824. – cfr Archibald Robertson: Colloquia de rebus praecipuis chemiae, pharmaceutices atque botanices, quaestionebus atque responsis, ad usum ingenuae juventutis accommodata., Edinburgi 1831, p.188: “Q. Quas proprietates **Arsenicum** possidet? – R. Hoc metallum est coloris subcaerulei, et splendidi; texturam foliatam exhibet; et facile fractu est. Ad temperiem aeris communem sine odore est; cum autem calori forti subjectum in vaporem transit odorem Allii emittens.”--

ETYMON. Nomen arsenici ducitur a graeco ἄρσενικόν, quod fuit nomen auripigmenti. Quod verbum iam invenitur apud Dioscuridem primo saeculo p.Chr.n. Nomen graecum videtur derivatum esse a palaeopersico, q.e. (*al-*)zarnik (color aureus, auripigmentum, arsenicum). Per etymologiam popularem falso derivatum est a graeco verbo ἄρσενικός, i.e. virilis, fortis.

CHEMIA. Arsenicum est elementum chemicum, cuius symbolum est As, numerus ordinis est 33. In systemate elementorum periodico hoc elementum stat in periodo quartâ, grege quinto principali, i.e. quintus decimus grex IUPAC sive grege nitrogenii. Arsenicum in naturâ raro invenitur solidum, plerumque formâ sulphidorum. Quod est semimetallo, quia pro modificatione habet qualitates aut metallicas aut non-metallicas. Coniunctiones arsenici iam ex antiquâ aetate sunt nôtae. Coniunctiones arsenici possunt habere vim toxicam eo quod efficiunt aberrationes chromosomaticas aut morbum cancrum. Arsenicum adhibetur ad semiconductoria dotanda et pars II-IV-semiconductoriorum, quale est *arsenidum gallii*. Coniunctio arsenici organica, quae appellabatur *arsphenaminum* vel *salvarsanum*, saeculo vicesimo ineunte habebatur pro remedio syphilidis efficacissimo, quamvis haberet effectûs secundarios graves vel gravissimos. Hodie *arsenicum trioxydatum* in *promyelocytoleukaemîa* curandâ adhibetur ultima optio curandi. -



crystalli arsenici fulgentes



arsenicum solidum




arsenicum griseum

BIOLOGIA. Arsenicum putatur esse microelementum corporis humani, sed effectûs penuriae nondum demonstrati sunt nisi in bestiis. Scilicet valere regulam Paracelsi: *Dosis facit venenum!* Innocua videtur esse receptio arsenici cottidiana – pro nutrimento electo – si maxima, unius miligrammi. Si qui homo solet coniunctiones arsenici comedere, praesertim arsenicum trioxydatum, corpus eius assuefit et, si homo abstinet, laborat abstinentiae symptomatibus. Prius homines, qui propter effectum stimulationis generalem saepe arsenicum consumebant (praecipue in Stiria regione Austriae), quo assuefactio et cupiditas morbosa oriebantur, appellantur *comesores arsenici*. Animalia marina, qualia sunt conchae et cammari, continent quam plurimum arsenici, postremi usque ad 175ppm (= partes per milionem). Multis bestiis arsenicum est microelementum essentiale. Itaque gallinae et ratti si sine arsenico nutriuntur, parum bene crescunt; verisimile est hoc cohaerere cum vi, quam habet arsenicum ad metabolismum *arginini*, quod est acidum aminicum. Multae algae et crustacea continent coniunctiones arsenici organica, e.g. *arsenobetainum*. Arsenicum efficit, ut plura generentur erythrocyta, quae transportant oxygenium. Itaque prius additum est pabulo volatilium et porcorum, ut iidem celerius saginentur. Exercitores equorum currilium usi sunt arsenico ad animalia sua *dopanda* – at talis excitatio pharmaceutica illegalis hodie facile potest investigari urinâ probandâ. - Coniunctiones arsenici solubiles facile recipiuntur per tractum stomachi et intestini et celeriter spatio 24 horarum per corpus distribuuntur. Maxima pars arsenici recepti invenitur in musculis, ossibus, renibus, pulmonibus. In homine arsenicum unâ cum *thallio* in paene omni organo est inventum. Sanguis continet, si maximè, 8ppb arsenici, in aliis organis corporis, velut in ossibus, inest portio arsenici 0,1-1,5 ppm, in capillis inest portio ferè 1 ppm. Portio media arsenici totius corporis adulti est 7 mg. - In plantis arsenico metabolismus carbohydrate augetur. *Pteris vittata*, species filicium, avidè recipit arsenicum ex solo terrestri, si maximè, pondus arsenici recepti aequale est 5% ponderis sui sicci. Hac de causâ haec filix celeriter crescens adhibetur ad purgationem biologicam solorum arsenico contaminatorum. - Effectus arsenici stimulans videtur esse causa comesionis arsenici, quae prius in nonnullis regionibus Alpium frequenter fiebat. Saeculo 17. nonnulli incolae

vicorum montanorum per totam vitam bis in septimanâ, si maximê, 250 mg arsenici – viri, quia hoc adiuvit eos in altitudine laborantes, mulieres, quia dicebatur color faciei arsenico saturari. Cum a scientistis hoc diu pro fabellâ habitum esset, quidam agricola Alpium Stirianarum a.1875 Graecii in urbe Austriae coram viris Germanis doctis dosin sumpsit 400 mg arsenici trioxydati, quae postea etiam in urinâ eius est inventa. Haec dosis quamquam multo maior fuit quam ea, quae hominibus communibus est letalis, ad hunc agricolam Stirium nullum habuit effectum noxiun. Similia referuntur de incolis viculi cuiusdam in alto deserto *Atacamae* Chilensi, qui quamquam cottidie bibunt aquam arsenici plenissimam, nulla symptomata intoxicationis exhibent. Hodie scientistae putant fieri posse, ut corpus dosibus lentê exauctis assuefiat ad hoc venenum.



ÖTZI Vir alpinus neolithicae aetatis



ALBERTUS MAGNUS



PARACELSIUS

USUS HISTORICUS. Inventum est iam tertio millennio a.Chr.n. hominem contigisse arsenicum: Nam in capillis illius *Ötzi*, i.e. mumiae incolae Alpini in glacie conservatae inventae sunt maiores copiae arsenici. Hoc ab archaeologis eo explicatur, quod idem vir cuprum tractavit – nam mineralia cuprea saepe sunt arsenico contaminata. Antiquitate classicâ arsenicum notum erat *sulfidis arsenici*, quae sunt *auripigmentum* (As_2S_3) et *realgar* (As_4S_4), quae a *Theophrasto* describuntur. Certum etiam est *Democritum* philosophum saeculo quinto novisse coniunctiones arsenici. Ex Papyro Leidensi X, qui est saeculo tertio p.Chr.n. scriptus, licet concludere eas coniunctiones arsenici adhibitas esse, ut argentum colorem duceret auri similem et cuprum, ut fieret album. *Caligula* imperator Romanus traditur iam saeculo p.Chr.n. primo aurifici mandasse, ut faceret aurum ex auripigmento. Alchymistae, quos coniunctiones arsenici nosse demonstratum est, opinati sunt sulphur esse affine hydrargyro. arseno(III)-sulfidum fuit pigmentum et medicamentum depilatorium necnon adhibetur ad morbos pulmonarios extra et intra curandos. Medio aevo arseno(III)-oxidum (As_2O_3), pulvis albus, latinè *tutia*, theodisce *Hüttenrauch* appellabatur. *Albertus Magnus* circa a.1250 primum descripsit arsenicum fabricari eo, quod arsenicum trioxydum carbone reduceretur. Itaque *Albertus Magnus* habetur pro inventore huius elementi. *Paracelsus* saeculo 16. usus est arsenico sanandi causâ.



LI SHIZHEN

Eodem ferê tempore medicamenta arsenici descripta sunt in sinicâ encyclopaediâ pharmacopolae *Li Shizhen* (李時珍/李时珍, sive *Dongbi* sive *Tung-pi*, 東璧, a.1518-1593), quae inscribitur „*Bencao Gangmu*“ (本草綱目/本草纲目, *Liber herbarum sanatricum* sive *Compendium Materiae Medicae*). Idem auctor verbis effert hoc medicamentum in oryzetis adhiberi ad insecta nociva occidenda. -

Saeculo 17. auripigmentum flavum adhibebatur a pictoribus Batavis ut pigmentum flavum regale. - Quamquam notum erat arsenicum esse venenum, idem elementum ineunte saeculo 19. fuit unum ex medicaminibus *asthmatis* mitigandi praecipuis. Hic usus arsenici pharmaceuticus videtur effectus esse relationibus, quibus Sinenses dicebantur arsenicum cum tabaco commixtum fumaculo fumificare, ut pulmones sui fierent tam fortes quam folles. Item usque in saeculum 19. coniunctiones arsenici extra atque intra corpus adhibebantur ad tractanda ulcera maligna, morbos cutaneos, et febrim (guttis Fowlerianis). Arsenicum sive potius arsenata cupri in pigmentis, velut viride pigmentum Parisinum adhibebatur ad tapete chartaceum sive chartam muralem typographicâ impingendam. Si umores magni erant, haec pigmenta *Mucore mucidine* affecta mutabantur in coniunctiones arsenici venenosas et volatiles, quibus haud raro fierent intoxicationes arsenici chronicæ. - In Bello Mundano Primo coniunctiones arsenici substantiis pugnatoriis indebantur (crux caerulea, lewisisites). Milites talibus venenis affecti ex cute et pulmonibus laborantes passi sunt dolores crudeles et damna corporis gravissima.


USUS MODERNUS. Arsenicum additur ligaturis plumbi, ut fiant firmiores et fusiliores. Praecipue laminae accumulatrorum subtile sine arsenico addito non possent fundi. Olim arsenicum fuit additamentum ligaturarum cuprearum magni momenti, quae eodem melius possunt pertractari. In rebus electronicis arsenicum elementum purissimum multum valet ad semiconductoria gallii et arsenidi. A.2004 ineunte ubique terrarum tres tantum fabricatores arsenici purissimi, duo in Germaniâ et unus in Iaponiâ. - Coniunctiones arsenici in nonnullis terris adhibetur ad animalcula nociva in viticultra impugnanda, ad fungos in oeconomia lignariâ removendos, ad rattos occidendos, ad res decolorandas in vitro fabricando. Sed hic usus arsenici a multis vituperatur, quia coniunctiones arsenici (praesertim arseno(III)-oxidum) venenosa sunt. -

HISTORIOLA VENEFICII. Elementum arsenici in dubiam claritudinem pervenit eo quod saepius adhibebatur ad homines necandos, quod apparet ex documentis historicis et fabulis et cinematibus. Sed homicidae numquam usi sunt arsenico elemento, sed coniunctionibus eiusdem. In Italiâ et Francogallia mortui sunt duces et rôges et papae beneficiis arsenico consulto factis. In Francogallia saeculi 17. *Marchionissa de Brinvilliers* patrem duosque fratres imbuti mixturae arsenici.



Anna Maria Zwanziger
1760-1811

Saeculo undevicesimo ineunte **Anna Maria Zwanziger** interfectrix serialis innotuit beneficiis suis horrendis. Annae maritus, qui fuit notarius, a.1796 ebriositate mortuus est eamque inopem reliquit. Ut infantes suos duos nutrire posset, a.1808 munus accepit dispensatricis domesticae a functionario iuridico, qui nomine fuit *Glaser*. D.26. m.Aug.a.1808 dominam imbuti arsenico. Quod facinus fecisse putatur, quia speraret se posse domino suo nubere et in locum dominae interfactae succedere. At cum hac spe deceptus esset, novum munus petivit. Nemo autem suspicatus est. Proximus conductor operae fuit etiam functionarius iuridicus, cælebs nomine *Grohmann*. Nunc quoque Anna speravit fore, ut connubio cum praeceptore coniungeretur. At iterum spes Annae decipitur, cum certior fiat *Grohmannium* iam consilium cepisse, ut aliam mulierem in matrimonium duceret. Idem dominus Annae valetudine imbecillâ cum esset, saepius plus minusve leviter aegrotabat; sed d.8. m.Mai a.1809 affectus morbo brevi et vehementi mortuus est omnibus indicis intoxicationis arsenici insignis. Iterum Anna non vénit in suspicionem, quamquam antea non celaverat animum suum esse in *Grohmannium* propensum. Proximi domini Annae, *Iudicis Gebhardi*, uxor d.20. m.Maii a.1809 mortua est gravida. Quae ante mortem suspicata est se veneno imbutam esse. Etiam Gebhardus iudex ipse et numerosi visitatores et nuntii ministri, in summâ decem homines, in morbum inciderunt. Deinde *Anna Zwanziger* dimissa est. - At duea ancillæ et infantulus familie minimus cum in morbum incidissent, tum demum victualia familie in pharmacopolio analysi subiecta sunt. Inventae sunt magnæ copiae arsenici in conditoris salium. Inde effectum est, ut corpora exhumarentur hominum antea interfectorum, qui omnes iam notis externis victimæ arsenici cogniti sunt: putrefactio corporum insolito pauca, corpora erant dura facta, mumiis similia. Mense Octobri a.1809 propter suspicionem urgentem *Anna Zwanziger* arrestata est. Cum a biocolytis comprehendenderetur, eadem secum tulit tres fasciculos veneni: duos fasciculos arseni („*lapis culicum*“) et unum arsenico completum. - D.16.m. Apr. a.1810 processus iudicialis factus est, in quo confessa est homines veneno imbuuisse. Anna contendit se neminem voluisse necare. M. Iulio a.1811 capitis damnata est. *Anna Margaretha Zwanziger* d.17. m.Sept. a.1811 decapitata est.



Bremae in urbe **Gesa (Gesche) Gottfried** (1785-1831) interfectrix serialis 15 homines arsenico interfecit.




Ista mulier interficit 15 homines: proprios liberos, parentes, maritos, amasios & amicos necavit arsenico.

Gesa Gottfried proprios suos liberos parentes nenen omnes maritos suos arsenico interfecit. Cum visa erat curare homines victimas futuras summâ cum caritate appellata erat nomine **Angelae Bremensis**. A.1831 tandem facinorum convicta in aulâ ecclesiae cathedralis Bremensis capite amputata est. Per longum tempus nulla vestigia arsenici potuerunt indagari in corpore hominis ideoque hoc habebatur pro certo instrumento ingratos homines de medio tollendi. Homines arsenico imbuti magnis cum tormentis animam efflare solent convulsionibus stomachi et vomitu et diarrhoeâ. Si dosis huius veneni sat magna est, mors venit intra diem. Ita factum est de filio filiabusque Gesae Gottfried. Quos veneno imbutos cum morte luctantes mater teneriter curavit. Deinde luxit de liberis suis a se ipsâ interfectis. Quare eosdem necavisset, Gesa Gottfried rogata numquam respondit.

Gesa Gottfried nata est d.6. m.Mart. a.1785 nomine *Gesche Margarethe Timm* in urbe Bremâ. Maturê iam instituta est saltando et francogallicê loquendo, tamen postea numquam professionem didicit his facultatibus exercendam. A patre coacta est, ut nuberet *Johanni Miltenberg*, ephippiario opulento, sed viro levi atque dissoluto. Per totum connubium Gesa dicitur numerosis amoribus operam dedisse, quos maritus patiebatur. Hoc tempore 5 liberos peperit, quorum 3 primo vitâ superaverunt: *Adelheida* (1809–1815) et *Henricus* (1810–1815) et *Iohanna* (1812–1815). Lubidine autem necandi affecta est Gesa 28 annos nata: A.1813 maritum interfecit pulvere arsenico. Quem antea acceperat a matre suâ, ut deminueret murium abundantiam molestam. A.1817 nupsit *Michaeli Christophoro Gottfried* sibi ex multis annis iam amasioni, qui hôc tempore iam erat moriturus. Post nuptias obtulit ei dosin veneni ultimam et letiferam. Sunt, qui conicant Gesam maritum primum liberosque necasse, ut libera sit amasioni sua. At quare deinde eum quoque necaverit, incertum est. Eodem tempore Gesae imponitur nomen **Angelae Bremensis**, quia stupenda cum caritate curavit aegrotos – at nemo suspicatus est Gesam ipsam dolores patientium effecisse arsenico iisdem dato. Index victimarum veneno imbutarum in annos fiebat longior. Iterum iterumque Gesa inopia pecuniae vexabatur. Sed eadem lepore suo unico iterum iterumque captavit benevolentiam virorum, qui plerumque brevi ante nuptias, sed postquam Gesae testamento suo pecuniam reliquerunt, subito sunt mortui. Etiam creditores subita morte corripiebantur. Interim Gesa interficiebat butyro murario (i.e. arsenicum pinguamine permixtum, quod erat ad mures impugnandos perutile et aetate Gesae Gottfried in omni pharmacopolio prostabat venale. Denique Gesae homicidia insidiosissima revelata sunt a.1824, quo eadem mulier in habitaculum suum prius remigravit ibique munus suscepit coquae dispensatrixque coniugum, quibus nomen gentis fuit *Rumpff*. Dominâ iam extinctâ *Johannes Christophorus Rumpff* invénit granula alba pernae inspersa, quae medicus quidam viro familiaris clarê cognovit esse particulas arsenici. Die sextâ, die suâ natali a.1828, *Gesa Gottfried* a biocolytis comprehensa et in carcerem abducta est. Venefica a iudice rogata, quibus de causis homicidia numerosa commisisset, tacuit perseveranter. Usque ad supplicium d.21. m.Apr. a.1831 sumptum hae causae non sunt inventae. - *Gesa Gottfried* fuit ultimus homo Bremae publico suppicio punitus. Eius mulieris facinoribus famosis tota urbs hanseatica est consternatissima, litterae scientificae et narroriae usque ad diem hodiernum mirabiliter ditificatae. E.g. fabula novella graphica, c.t. „*Gift*“ a *Peer Meter* atque *Barbarâ Yelin* scripta aut in cinematate et fabula theatraica a *Rainero Maria Fassbinder* scriptis, quibus titulus est „*Bremer Freiheit*“.


At plerique benefici manserunt ignoti, quia usque ad annum 1836 parvae copiae arsenici non potuerunt in corpore recognosci. Probâ demum a *Iacobo Marsh* inventâ et secundum eum denominatâ contigit, ut vestigia eius elementi identificantur ideoque causa mortis non naturalis inveniretur.

Proba Marshiana in chemiâ et in medicinâ forensicâ est reactio chemica *arsenici* et *antimonii* et *germanii* investigandi classica. Quae excogitata est a.1836 a **Iacobo Marsh** chemico Anglo. Quâ in probâ arsenicum hydrogenio nascente reducitur in **hydrogenium arsenici gasiforme**. Haec coniunctio metastabilis calore dilabitur in hydrogenium et arsenicum nigrum, quod potest cognosci.





JAMES MARSH (1794-1846)



A B C D

In vasi **A** acidum sulphuricum reagit cum zinco, ut oriatur hydrogenium; per infundibulum si iniciatur arsenicum oxydatum (As_2O_3), hydrogenium fit hydrogenium arsenici (AsH_3). Quod per tubulum **B** fluens siccatur et in tubulo **C** calefit. Effluens in loco **D** inflammatum dilabitur in hydrogenium (H_2) et arsenicum elementarium (As), quo nigratur testa porcellanea si flammae obtenditur. - Antequam proba Marshiana est inventa, arsenicum trioxydatum (As_2O_3) fuit venenum homicidiale gratum, quia aegre tantum investigari poterat. Post a.1836 homicidia arsenico trioxydato facta rarescebant. - Tamen etiam saeculis 19. et 20. beneficia consulto facta sunt substantiis, quae arsenicum continebant – partim, quia infuerunt herbicidalibus, quae facile accipiebantur, partim quia parvis dosibus iterum iterumque dandis simulari poterat mors morbo effecta. M. Sept. a.1840 processu judiciali exeunte prima sententia dicta est, quae nixa est solâ probâ Marshianâ. In casu *Mariae Besnard*, quae dicta erat inter annos 1927 et 1929 complures homines arsenico imbuisse, nihil certe demonstrari potuit, quia resultata investigationis erant inter se contraria, et a.1954 eadem rea absoluta est. - Per multos annos creditum erat mortem *Napoleonis Bonapartis* Imperatoris quondam Francogallorum 51 annos nati in Insula Sanctae Helena versantis effectam esse eo, quod Napoleo arsenico imbutus esset. In eius capillis revera inventa sunt vestigia huius veneni valde concentrata. Hodie autem de variis thesibus aliis disputatur ad facta explicanda. Potuit fieri, ut arsenicum *post mortem* capillis adderetur, ut conservarentur (illo tempore haec methodus conservandi in usu fuit). Alterâ thesi dicitur Napoleo solutione Fowlerianâ arsenicum continent curatus esse; nam haec solutio illâ aetate habebatur pro medicina mirabili. Sed hodie tertia thesis putatur esse verisimillima: Napoleonem veneno imbutum esse coniunctionibus arsenici organicis eo, quod ex eius chartis muralibus auripigmento viridi impictis continuo *Mucores mucedinis* emissi essent. Nam ex portione materiae a.1980 in codicillo quodam inventâ scimus in conclavi Napoleonis infuisse multum arsenici. -

Renatus Cartesius philosophus illustris a.1650 paucis mensibus postquam advénit in aulâ Christinae Regis Suetiae. Unus ex Iesuitis, qui in Aulâ versabantur Reginae protestanticae, in suspicionem vénit Cartesium religionis causâ veneno imbuisse; haec suspicio certior facta est, cum Christina postea profecto se converterit ad catholicismum, sed non potuit demonstrari, ut causa mortis officialis, inflammatio pulmonis, in biographiis Cartesii percrebresceret (*Theodor Ebert: Der rätselhafte Tod des René Descartes*. Alibri, Aschaffenburg 2009). Nuper demum novis documentis repertis dictum est „*veneficium in Cartesio factum perquam esse verisimile, ne dicaretur paene certum.*“ Der Mathematikhistoriker [Thomas Sonar](#) stimmte der These zu (Thomas Sonar: 3000 Jahre Analysis. Springer, Berlin 2011, [ISBN 978-3-642-17203-8](#), S.245). <https://hpd.de/node/9436> *Der rätselhafte Tod des René Descartes*. 5. Mai 2010. ---- A.1900 Mamuchii in urbe Britanniae complura milia hominum veneno imbuti sunt. Inventum est eos omnes in eâdem bracinâ eandem cervesiam bibisse. Nam quibusdam in gradibus cervesiae fabricandae prioribus videtur adhibitum esse acidum sulphuricum. Circiter 70 homines veneno imbuti mortui sunt. Annis 2010 et 2011 in Austriâ duo viri arsenico

imbuti mortui sunt. D.11. m.Apr. a.2013 in iudicio municipali Kremsiensi Polona 52 annos nata homicidii horum virorum rea ad custodiam perennem damnata est. -



ECCE RENATUS CARTESIUS (*a dextris*)
ET CHRISTINA REGINA SUETIAE (*in medio*)

Annis quinquagenariis in Bello Frigido *Clara Booth Luce* ambasciatrix Civitatum Unitarum Romae in urbe in morbum incidunt arsenico imbuta, quod ex charta murali emissum erat. Eo, quod morbus effectus est chartis muralibus mucore obsitis, non a speculatoribus secretis adversariis, hoc in casu non solum convalescentia facilior factus est, sed etiam pax mansit servata. -



ECCE ELISABETHA AMITA ANNAE
DE VENEFICIIS ACCUSATA

CASUS GELATI PISTACEI: *In dubio pro reâ (sic!)* - Absolutio adversus beneficium arsenici! Casus gelati pistacei ab Aulâ Iudicali Foederali diiudicatus est a.1999. Hic casus iuris poenalis est unus ex institutionis iuridicae casibus classicis, quia rea absoluta est secundum praeceptum, q.e. *In dubio pro reo*. Mulieri accusatae ab actore publico obiectum erat ab eâdem neptem ex fratre suo 7 annos natam arsenico interfactam esse, quod gelato pistaceo admiscisset. - D.21. m.Ian. a.1993 Anna 7 annos nata arsenico imbuta mortua est. Eius amita, Elisabetha, in suspicionem vénit venenum portioni gelati pistacei immixtum puellae dedisse. Hic casus primo offertur Iudicio municipali Stutgardiensi, quod Elisabetham homicidii causâ damnavit ad custodiam perennem. Tum revisionem petitam accepit. Ambagibus per iudicium Heilbrunnense factis Aula Iudicij Foederalis Elisabetham propter absentiam argumentorum a.1999 absolvit secundum praeceptum quod est *In dubio pro reo*. **Condiciones familiae.** Rea, cui nomen est *Elisabetha*, nata est in gente pharmacopolarum Stutgardiensi. Eius parentes fuerant possessores *Pharmacopoli Nigritanorum Möhringensis*. Elisabetha, cui est frater minor natu, studium suum pharmaciae brevi ante examen abrupit. Quae nupsit viro diviti et libenter ostentabat luxum suum. Morbi cuiusdam causa ea eiusque maritus non potuerunt fieri parentes. Frater Elisabethae minor, cui nomen est *Ernestus-Rudolfus*, a.1991 in matrimonium duxit matrem victimae posterioris, Benedictam d.3. m.Febr. a.1985 nata est Anna filia communis. Ex hâc partu mater

laboravit sclerosi multiplici. Quamquam *Ernestus-Rudolfus* dispensator fuit magni salarii acceptor, familia eius vitam degebat modestam et valde religiosam. Elisabetha bene concordabat cum fratre eiusque familia necnon cum Annâ nepte sua. Anna gaudebat de amitae visitationibus, quae gubernabat album autocinetum Porscheanum et tres canes taurinos francogallicos possidebat semperque erat bellâ vestita et fucata. **Tres portiones gelati pistacei cum embammate socolateo.** D. 20. m.Ian. a.1993 Elisabetha fratrem eiusque familiam visitavit, ut aliquem canum suorum postridie Stutgardiae transportaret ad veterinarium. Annae puellae 7 annos natae attulit fascem gelati pistacei in supermercatu emptum. Vesperi ineunte parentes domum reliquerunt ad acroasin religiosam audiendam. Elisabetha cum Anna remansit sôla. Anna primo tres canes amitae suae secum foras duxit, deinde amita dedit ei gelatum pistaceum allatum. Addidit embamma socolateum, quae infuit lagoenae iam apertae in parentium armario frigidario positae. Etiam Elisabetha ipsa gelati pistaceu akiquid comedit, sed nihil embammatis socolatei. Deinde Annam ad lectum adduxit. Postquam parentes redierunt, iidem atque Elisabetha curaverunt pittam sibi afferendam. Brevi ante h.22 Anna primo evomuit et questa est de nauseâ fortis. Versus h.7.am Anna perturbatione aequilibrii et conscientiae affecta in balneo collapsa est. Tum parentes et amita una cum puella vecti sunt ad nosocomium Ludovicopolitanum. Quamvis methodis medicinae intensivae curata Anna ibidem h.11.20 mortua est. Interim Elisabetha canem suum attulit tempore iam prius definito ad veterinarium et in domo fratris expedivit machinam elutoriam semicompletam. Postea revertit in nosocomium ibique accepit neptem esse mortuam. - **Machina elutoria expedita, viciualia abiecta.** In nosocomio medici centrum toxicologicum certius fecerunt; deinde biocolytæ coepit causam mortis indagare. Nunc innotuit matrem Annae omnia penora viciualium domestica abiecisse. Quamquam parentes recusaverunt, pathologus forensis obduxit Annae corpus mortuum et invenit puellam arsenico trioxydato, pulvere inodoro atque insipido, intoxicated esse. Eandem sumpsisse copiam dosis letiferae vicesimam vel si maximè quinquagesimam. Quia tanta dosis, si tardissimè, post una semisse aut duas horas efficit vomititionem, Annae venenum non potuerat dari ante horam vicesimam. Ergo venenum nusquam inesse potuerat nisi in gelato aut in embammate socolateo aut in theâ nigrâ aut in guttis stomachicis. Itaque nemo in suspicionem vénit facinoris facti nisi puellæ parentes aut amita. Biocolytæ invenerunt et Elisabetham et eius fratrem adhuc retinere clavem pharmacopolii parentium ibidemque servari etiam arsenicum. Etiam indicio fuit etiam parentes fratris et sororis causis incognitis mortuos esse. Pater eorum a.1987 aetate 65 annorum mortuus erat in stabulo autocinetorum subterraneo collapsus. Mater autem 8 mensibus postea mortua erat aetate 60 annorum, postquam pressio sanguinis causa incognita vehementer deminuta est mulierque examinata est. In utroque casu Elisabetha fuerat Stutgardiae. Frater et soror a parentibus heredium acceperunt complurpes miliones. Praeterea biocolytæ animadverterunt Elisabetham se gerere, quasi rei non esset particeps. Tamen complures psychiatri in huius mulieris moribus atque consuetudinibus nihil invenerunt insoliti. - **Rea primo homicidii damnata, postea damnata.** - Actores publici Stutgardienses Elisabetham accusavit coram iudicio municipali Stutgardiensi. Eidem mulieri obiectum est, quod consulto Annae dedisset dosin mortiferam arsenici in portione gelati pistacei. - Actores publici dixerunt motivum possibile esse id, quod Elisabetha nullos liberos parere posset. Indicia esse, - quod rea machinâ elutoriâ expediendâ destruxisset subsidia argumentationis, - quod studio suo pharmaciae cognoscendae, - quod sibi accessibile fuisset pharmacopolium parentium. Sôlis indicis iudicium municipale Stutgadiense ream damnavit propter homicidium dolosum ad custodiam perennem. At haec sententia iudicialis in casu gelati pistacei a.1996 ab Aulâ Iudiciali Foederali sublata est et res ut disceptaretur et decerneretur repulsa est ad iudicium municipale Hailbrunnense. - Idem iudicium ream damnavit propter homicidium neptis suae et rea iterum petivit revisionem. Denique rea iudicio ipsius BGH (Aulae Iudicialis Foederalis) d.19. m.Ian. a.1999 propter absentiam demonstrationis ab opprobrio homicidii absoluta est. Impulsus interiores et indicia et motiva reae supposita secundum Aulam Iudicialem Foederalem probata sunt non sufficere ad damnationem. **In dubio pro reâ (sic!).** BGH rationem reddens verbis extulit investigatores non satis probasse, num gelatum in supermercatu veneno imbutum esse. Praeterea parentes Annae nimis maturâ exclusos esse e circulo suspiciosorum. Propter defectum probationis itaque in casu gelati pistacei damnationem esse tollendam secundum principium „in dubio pro reo“ et ream esse absolvendam. - sententiâ iudiciali dictâ parentes Annae sedem transmoverunt in Franconiam, ubi novam vitam coeperunt degere. Elisabetha autem uno anno post morbo cancri obiit.

--- **LITTERATURA.** In tragediâ Friderici Schiller burgensi, q.e. *Kabale et Liebe* (Insidia et amor), iuvenis centurio maior *Ferdinandus de Walter* primum veneno imbuit *Luisam Millerin* amatam suam et deinde se ipsum. Sed in hac tragediâ parum recte mors per arsenicum fit per paucas minutas. - **Emma Bovary**, persona praecipua fabulae romanciae illustris a *Gustavo Flaubert* scriptae, mulier connubio infelici cum medico rurali coniuncta, in fine fabulae voluntariâ moritur pulvere albo, i.e. arsenico sumpto. Flaubert, qui oriundus esset e gente medicorum, symptomata intoxicationis mortemque Dominae Bovary dolorosissimam describit accuratissimè. - In *Dorotheae L. Sayers* fabulâ romanâ, quae inscribitur **Strong Poison**, i.e. **Venenum forte**, victima arsenico imbuta est. Persona suspicosa, *Harrieta Vane*, auctrix fabularum criminalium, accuratè studuit cognoscendis homicidiis arsenico effectis ideoque pharmacoplam rogavit, ut sibi consuleret. - In libro puerili ab *Astridâ Lindgren* scripto, cuius titulus est „*Kalle Blomquist*“, investigator criminalis uititur probâ Marshianâ, ut frustum socolatae arsenico imbutum probaret.



In fabulâ theatricâ a *Iosepho Kesselring* compositâ, c.t. *Arsenic and Old Lace*, i.e. Arsenicum et cappula denticulata, duae aniculae benevolentæ veneno imbuunt senes solitarios mixturâ arsenici et strychnini et hydrocyanici. Haec fabula innotuit cinematæ eiusdem tituli, in quo personas praecipuas gesserunt *Frank Capra* et *Cary Grant* et *Peter Lorre* et *Priscilla Lane*.

ARMARIUM FRIGIDARIUM

SYMBOLA GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

armārium frīgidārium

290,292,296,377

Kühlschrank – refrigerator – réfrigérateur – frigorífico – frigorifero

TESTIMONIUM. Caelestis Eichenseer, Latinitas Viva, Pars lexicalis, ed. secunda, Saraviponti – Saarbrücken 1982, p.16, 33): „(armārium) frīgidārium, -i n. frigorifero; refrigeratora; réfrigérateur; refrigerator; Kühlschrank; - sitarchia gelufica f.“ (Hoc nomen in appendice eiusdem operis Hasso Geissler commendat ad arcum gelatoria nuncupandam: Eichenseer, op.mem., p.350: „ad...16,35: „Pro ,arca gelatoria‘ aptius dici potest ,sitarchia gelufica‘.



glacialia) adhibebatur ad victualia refrigeranda. A.1748 **Vilelmus Cullen** in Universitate Glascuensi monstravit primam refrigerationem artificialem. Ratio refrigerandi technica multo melior facta est eo quod a.1859 **Ferdinand Carré** usus est **ammoniaco**. Usque ad a.1920 etiam adhibebantur lignea armaria glacialia, quae erant completa glacie e fabricâ aut stagno allatâ (et in hypogeo sub serragine conditâ). Eadem armaria intra continebant vas, quod confectum est ex laminâ zincâ ferruminatâ. Supra impletur glacies (aut diffracta aut solida, e.g. stiriae glaciales), infra colligitur a destillans.

In parte mediâ est cella glacie circumdata, quâ recipitur res refrigeranda loculamentis marmoreis et foriculâ concluditur. **Graecii** in urbe Austriae inscriptiones, q.s. *Eisteichgasse* (i.e. Angiportum statgni glacialis) et *Am Eisbach* (Ad rivum glacielem) in memoriam revocant hoc genus glaciei comparandae hiemale. In *Vallorbe* glacies ex *Lacu de Joux* exsecta tramine ferriviariâ transportabatur ad Parisios, ex oppido *Zell am See* glacies ad bracinas Germaniae. Ex Alascâ glacies navibus transportabatur in Californiam. - A.1876 **Carolus de Linde**, Germanus ingenarius atque negotiator methodum Lindeanam, quae in scientiis et technica vehemente valet. Inventione Lindeanâ subtilitas compressaculi totiusque machinae geluficae tanta facta est, ut eaedem aptae essent ad productionem industrialem. Nunc glacies aquaria fabreicari potuit quotannis ratione industriali; non iam necessaria fuit glacies naturalis. Etiam Caroli apparatus primus operatus est adhuc **ammoniaco**. Quae substantia est venenosa et caustica neque solum efficiebat rimas, e quibus liquor effluebat, sed etiam odorem malum; itaque armaria frigidaria annis vicenariis demum saeculi vicesimi, quibus alia chemicalia apta inventa sunt, adhiberi potuerunt ad usum domesticum. Annis tricenariis armarium frigidarium in Civitatibus Unitis et in Cubâ factum est instrumentum domorum privatuarum generaliter consuetum et solitum; iam a.1937 dimidia ferè pars habitaculorum habuit armarium frigidarium. - **Electrica armaria frigidaria**. Primum armarium frigidarium europaeum a.1929 a fabricâ *Rasmussenii Zschopauensi* est fabricatum. Fluento electrico et armario frigidario divulgato instrumentum vetustius, i.e. armarium glaciale non-electricum, attractivitate orbatum est. - Priora armaria frigidaria operabantur **methano chlorico** (chloridum methylicum, CH_3Cl), **ammoniaco** aut **sulpure dioxydato**; his gasis effecta sunt problemata, qualia fuerunt conditio partium mobilium compressaculi et periculum gasa venenosa emitendi, si quae rimae oriuntur. Ex a.1930 **hydrocarbonea fluorica** (*FCKW*) technicē possunt fabricari et adhiberi ad subsidia et machinas refrigerandi. Iisdem adhibitis contigit, ut problemata supra dicta evitarentur. Annis octogenariis saeculi vicesimi supra polum antarcticum inventum est **foramen ozonticum** et contigit, ut scientifica ratione demonstraretur hydrocarbonis fluoricis destrui **stratum ozonicum**. Protocollo Regiomontano civitates subscriptentes se obligaverunt se non iam adhibituras esse hydrocarbonea fluorica. Armaria frigidaria in habitaculis

Armarium frigidarium est receptaculum machinâ refrigeratoriâ instructum armario simile, quod solet adhiberi ad victualia servanda. Eius machina refrigeratoria plerumque est electrica. Aggregato refrigeratorio, quod saepe est lateri postico affixum et thermostato regulatur, spatium armarii frigidarii internum eo refrigeratur, quod calor abducitur in circumiecta. Item sunt armaria frigidaria, quae utantur frigore evaporationis aut temperaturis externis inferioribus. - Armaria frigidaria adhibentur ad servanda victualia, medicamenta, chemicalia etc. Temperaturâ inferiore reactiones chemicae et processûs biologici, quibus e.g. victualia extra armarium frigidarium fiunt inedibilia et medicamenta fiunt inefficacia, lentius procedunt. - Temperatura armriorum frigidariorum typica est inter 2°C et 8°C (duos et octo gradûs Celsianos). Capsa loculamentorum refrigerandi est contra calorem protecta, ne sumptus energiae ad frigus servandum sit nimis magnus. Armarium frigidarium efficit magnam partem sumptûs fluenti electrici domestici. -

Methodi refrigerandi merē physicales. - Aetate antiquâ glacies e montibus allata in hypogeis profundis (hypogea

privatis adhibenda ex annis vicenariis offerebantur, sed propter pretium enorme primo non valdē divulgabantur. In Imperio Tertio a praeconatione propaganda annuntiatum erat armarium frigidarium populare, quod tam vile futurum esset, ut plebe posset emi; sed effectu belli hoc instrumentum annuntiatum numquam ratione industriali seriatim productum est. Ex a.1950 miraculo oeconomico oriente armaria frigidaria in omnibus ferē habitaculis privatis Rei Publicae foederalis Germaniae armaria frigidaria divulgata sunt, quae constabant ex loculamentis frigorificis et geluficis. Annis sexagenariis procedentibus etiam in consuetudinem venerunt *arcae geluficae*.

HAS SYMBOLAS GLOSSARII

ORBIS PICTI HEXAGLOTTI

COMPOSUIT

LEO LATINUS


CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Anna Louisa Karsch

geborene Dürbach, genannt die Karschin

* 1. Dezember 1722 in Hammer, in der Nähe von Schwiebus
† 12. Oktober 1791 in Berlin

Anna Louisa Karsch war eine deutsche Dichterin. Sie gilt als eine der ersten finanziell unabhängigen Berufsschriftstellerinnen in Deutschland.



TRECENTIS ANNIS ANTE
KAL. DECEMBRIVS NATA
ANNA LOVI SA KARSCH
POETRIA ILLVSTRIS

MMXXI

Am 1. Dezember vor 300 Jahren wurde sie geboren –
die berühmte Dichterin ANNA LOUISA KARSCH.

Anna Louisa Karsch konkurriert mit Sophie von La Roche um den Titel der ersten deutschen Berufsschriftstellerin. Karschs *Auserlesene Gedichte* erschienen sieben Jahre vor La Roches *Die Geschichte des Fräuleins von Sternheim*. Über die schriftstellerische Tätigkeit bezog Karsch ihr Haupteinkommen. Zeitgenossen sprachen von ihr als „die unter den deutschen Dichtern einen vorzüglichen Rang behauptende Frau Karschin“; auch hieß es von ihr: „Von einer Karschin, als Dichterinn, hat gewiß schon ein jeder von unsrern Lesern, einen richtigen Begriff, und es wäre überflüssig, über ein Genie zu declamiren, das ganz Deutschland kennt.“

Else Ury

* 1. November 1877 in Berlin
 † 13. Januar 1943 im Konzentrationslager Auschwitz

Else Ury war eine deutsche Schriftstellerin, Kinderbuchautorin und ein Opfer des Holocaust. Ihre bekannteste Figur ist die blonde Arzttochter Annemarie Braun, deren Leben sie in den insgesamt zehn Bänden der Reihe „Nesthäkchen“ erzählt.

E L S A V R Y
 S C R I P T R I X P O P V L A R I S T E V T O N I C A
 S T I R P I S I V D A I C I
 O C T O G I N T A A N N I S A N T E
 I D I B V S I A N V A R I I S
 I N C A S T R I S C A R C E R A L I B V S
 G A S I O S V F F O C A T A
 R . I . P .

M M X X I I I

Die populäre deutsche (Kinderbuch-)Autorin jüdischer Herkunft
 ELSE URY wurde am 13. Januar vor 80 Jahren
 im Konzentrationslager (Auschwitz) vergast.
 Möge sie in Frieden ruhen.

Marianne Brentzel schreibt über Else Ury: „Else Ury war eine unpolitische, konservative Frau des deutschen Bürgertums, die mit großer menschlicher Anteilnahme das Massenelend der Arbeitslosigkeit sah und im Sog der Massenbegeisterung Hitler für eine mögliche Lösung aus der tiefen Staatskrise hielt. Sie hat 1933 die Augen vor der politischen Wirklichkeit verschlossen, wie sie es vor den Geschehnissen im öffentlichen Raum ihr ganzes Leben getan hat.“

Am 6. Januar 1943 musste sich Else Ury in der Deportationssammelstelle in der Großen Hamburger Straße 26 in Berlin einfinden. Die Mitteilung über ihren Status als „Reichsfeindin“ und die daraus folgende Einziehung ihres Vermögens „zugunsten des Deutschen Reiches“ erreichte sie dort am 11. des Monats. Am 12. Januar 1943 wurde Else Ury bei der Deportation von Juden aus Deutschland im 26. so genannten „Osttransport“ des RSHA unter der Nummer 638 nach Auschwitz verbracht. Von den 1000 Berliner Juden, die mit diesem Zug am 13. Januar 1943 in Auschwitz ankamen, wurden nach der Selektion an der „Alten Rampe“ nur 127 Männer als „arbeitsfähige“ Häftlinge registriert und in das Lager eingewiesen; die übrigen 873 Zuginsassen, darunter Else Ury, wurden nicht als Häftlinge registriert und sofort nach Ankunft in der Gaskammer ermordet.

1995 wurde Else Urys alter Koffer im ehemaligen KZ Auschwitz entdeckt; mit weißer Farbe aufgemalt trägt er die Inschrift: „Transport Nr. / Else Sara Ury / Berlin – Solinger Str. 10“; bei Sara handelt es sich um den von den NS-Behörden einheitlich angeordneten Zwangsnamen. Der Koffer wird heute im Museum Auschwitz verwahrt.

Betty Hirsch

* 15. Januar 1873 in Hamburg
 † 8. März 1957 in Berlin

Betty Hirsch war eine dänisch-deutsche Sängerin sowie Blinden- und Sprachlehrerin. Sie selbst hatte nach einem Unfall in der Kindheit ihr Augenlicht verloren.



C A E C O S E R V D I V I T

A N T E T R I G I N T A L V S T R A N A T A
 B E T T Y H I R S C H M A G I S T R A C L A R A

M M X X I I

Sie hat blinde Menschen unterrichtet.

Vor 150 Jahren
 wurde die berühmte (blinde) (Blinden-)Lehrerin
BETTY HIRSCH geboren.

Luigina „Gina“ Lollobrigida

* 4. Juli 1927 in Subiaco
 † 16. Januar 2023 in Rom



Rose *Gina Lollobrigida* im Rosengarten
 des Bagatelle, Paris

G I N A L O L L O B R I G I D A
H I S T R A N O T A P E L L I C V L A R V M
V I T A C E S S I T
R . I . P .

G I N A L O L L O B R I G I D A
H I S T R A C L A R A T A E N I A E C I N E M A T O G R A P H I C A E
E X V I T A E G R E S S A

M M X X I I I

Die bekannte Filmschauspielerin **GINA LOLLOBRIGIDA** ist gestorben.
 Möge sie in Frieden ruhen.

Die berühmte Filmschauspielerin **GINA LOLLOBRIGIDA** ist gestorben.

Gina Lollobrigida war eine italienische Schauspielerin, Fotografin und Bildhauerin. Seit Mitte der 1940er Jahre wirkte sie in siebzig Film- und Fernsehproduktionen mit, darunter sowohl Komödien als auch Dramen. In der Zeit nach dem Zweiten Weltkrieg avancierte sie zum Sexsymbol des italienischen Kinos. Dem internationalen Publikum wurde sie durch den Historienfilm „*Fanfan, der Husar*“ (1952) und durch die Romanverfilmung „*Der Glöckner von Notre Dame*“ (1956) bekannt.

Quelle: Wikipedia

Zacharias Werner

* 18. November/19. November 1768 in Königsberg in Preußen
 † 17. Januar 1823 in Wien



ZACHARIAS WERNER
 BONVS POETA SCAENICVS
 SACERDOS CATHOLICVS CONTIONATOR
 DVCENTIS ANNIS ANTE
 XVI KAL. FEBRVARIAS VIENNÆ OBIT
 AETATIS LIV

MMXXII

Am 17. Januar vor 200 Jahren starb in Wien
 der bedeutende Dramatiker, katholische Priester und Prediger
 ZACHARIAS WERNER im Alter von 54 Jahren.

Zacharias Werner war ein deutscher Dichter und Dramatiker der Romantik. 1814 wurde er katholischer Priester und Prediger.

Er war der einzige Dramatiker der romantischen Schule, der Bühnenerfolge errang. Kein anderer bildete so sehr die mystischen Elemente und die Schicksalsidee aus wie er. Immer mehr steigerte er sich in eine düstere Phantastik und Dramatik und fand letztlich seinen einzigen Halt in der „ungebrochenen Macht und Herrlichkeit“ der katholischen Kirche.

Janis Joplin

* 19. Januar 1943 in Port Arthur, Texas
 † 4. Oktober 1970 in Los Angeles, Kalifornien

Janis Joplin war eine US-amerikanische Rock- und Bluessängerin.



LIVE FAST LOVE HARD DIE YOUNG

IOANNA VVLGO JANIS JOPLIN

CANTRIX PRAECIPVA

ANTE BIS QVADRAGINTA ANNOS

IX KAL. FEBRVARIAS NATA

M M X X I I I

„Live fast, love hard, die young“

Die besondere Sängerin JANIS JOPLIN
wurde am 19. Januar vor 80 Jahren geboren.

Audrey Hepburn

* 4. Mai 1929 als Audrey Kathleen Ruston in Ixelles/Elsene, Belgien
 † 20. Januar 1993 in Tolochenaz, Schweiz



A V D R E Y H E P B U R N
 A C T R I X P V L C H E R R I M A
 T R I G I N T A A N N I S A N T E
 X III K A L . F E B R V A R I A S
 F A T O F V N C T A
 A E T A T I S S V A E L X III

M M X X I I I

Am 20. Januar vor 30 Jahren
 starb die wunderschöne Schauspielerin
 AUDREY HEPBURN
im Alter von 63 Jahren.

Audrey Hepburn

* 4. Mai 1929 als Audrey Kathleen Ruston in Ixelles/Elsene, Belgien
 † 20. Januar 1993 in Tolochenaz, Schweiz



A E T H E L D R E D A V V L G O A V D R E Y H E P B V R N
 A C T R I X P V L C H R A
 A N T E T R I G I N T A A N N O S
 XIII K A L . F E B R V A R I A S
 O B I I T
 A E T A T I S L X III

M M X X I I I

Am 20. Januar vor 30 Jahren
 starb die schöne Schauspielerin
 AUDREY HEPBURN
im Alter von 63 Jahren.

Francesco Piccolomini

* 25. Januar 1523 in Siena
 † 22. April 1607 in Siena

Francesco Piccolomini lehrte an der Universität Padua Philosophie. Sein Hauptwerk *Universa philosophia de moribus* zur Ethik und Politik setzt sich mit Aristoteles auseinander und bemüht sich um eine Synthese mit dem Platonismus.

Piccolomini gehörte zu den meistverehrten und bestbezahlten Philosophieprofessoren seiner Zeit.



FRANCISCVS PICCOLOMINI
 PRAECELLENS PHILOSOPHV S ITALICVS
 VIR VERITVS
 QVI N GENTIS ANNIS ANTE
 VIII KAL. FEBRVARIAS
 SENAE IVLIAE NATVS
 MMXXIII

Am 25. Januar vor 500 Jahren wurde FRANCESCO PICCOLOMINI in Siena geboren.
Er war ein hervorragender italienischer Philosoph und ein geachteter Mann.

Edward Jenner

* 6. Mai ^{jul.} / 17. Mai ^{greg.} 1749 in Berkeley, Gloucestershire
 † 26. Januar 1823 in Berkeley, Gloucestershire



E DV A R D V S I E N N E R V S V I R A N G L V S
I N V E N T O R V A C C I N A T I O N I S
Q V A E V A R I O L A S P R O H I B E T
A N T E D V C E N T O S A N N O S
V I I K A L . F E B R V A R I A S O B I I T

M M X X I I I


Der Engländer EDWARD JENNER hat die Pockenschutzimpfung entwickelt.
 Am 26. Januar vor 200 Jahren ist er gestorben.

Edward Jenner war ein englischer Landarzt, der 1796 die moderne Schutzimpfung als Kuhpockenimpfung gegen Pocken entwickelt hatte. Impfgegner machten seine Versuche lächerlich und bezeichneten seine Methode als „Verjauchung“ des Blutes. Die Vorstellung, einen Menschen mit Material aus Tieren (Kühen) zu inoculieren, war zu der Zeit kontrovers, besonders in der Kirche. Dennoch setzte sich die von ihm propagierte Methode weltweit durch. Jenner selbst verwendete für den Impfstoff die Bezeichnung „vaccine“, während sein Freund Richard Dunning 1800 das Verfahren als „vaccination“ (deutsch „Vakzination“) bezeichnete. Dieser Begriff steht im Englischen heute immer noch für die Schutzimpfung einer gesunden Person mit abgeschwächten oder inaktivierten Krankheitserregern, bzw. deren immunogenen Komponenten. Jenners Vakzination konnte die stark verbreitete Seuche zurückdrängen und als bislang einzige Infektionskrankheit bis heute eliminieren. Jedoch erkannte Jenner 1810, dass die Immunität gegenüber den Pocken mit seiner Methode nicht lebenslang anhielt, ohne den genauen Grund dafür zu kennen.

Louis de Funès

* 31. Juli 1914 in Courbevoie
 † 27. Januar 1983 in Nantes

Louis de Funès war ein französischer Schauspieler, Komiker, Regisseur und Drehbuchautor.



LVDOVICVS DE FVNES
 NOTVS HISTRIO FRANCICVS
 ANTE QVA DRAGINTA ANNOS
 VI KAL. FEBRVARIAS OBIIT
 AETATIS LXVIII


M M X X I I I

Am 27. Januar vor 40 Jahren starb der bekannte französische Schauspieler
LOUIS DE FUNÈS im Alter von 68 Jahren.

Christian Gottlieb Kratzenstein

* 30. Januar 1723 in Wernigerode
 † 6. Juli 1795 in Frederiksberg

Christian Gottlieb Kratzenstein war ein deutscher Naturforscher.



QVI N QVI ES S E X A G I N T A A N N I S A N T E
 III C A L . F E B R V A R I A S N A T V S
 C H R I S T I A N V S A M A D E V S K R A T Z E N S T E I N
 B O N V S P H Y S I C V S T E V T O N I C V S

M M X X I I I

Der große Naturforscher
 CHRISTIAN GOTTLIEB KRATZENSTEIN
 wurde am 30. Januar vor 300 Jahren geboren.



Christian Gottlieb Kratzenstein beschäftigte sich bereits frühzeitig mit Möglichkeiten für die Luftschiiffahrt. Er interessierte sich auch für Astronomie, Navigation, Luftfahrt, Meteorologie und Alchemie. Sein spezielles Forschungsgebiet war jedoch die Wirkung der Elektrizität auf den menschlichen Körper. In diesem Bereich sind ihm zahlreiche Entdeckungen zu verdanken, so zum Beispiel die *Kratzensteinschen Bläschen*. Kratzenstein ist Mitbegründer der physikalischen Medizin unter Verwendung der Elektrizität und entwarf eine der ersten Elektrisiermaschinen. Die Elektrotherapie wurde von ihm bereits frühzeitig bei Patienten angewandt.

Quelle: Wikipedia

John Galsworthy

* 14. August 1867 in Kingston Hill, Surrey, England
 † 31. Januar 1933 in London

John Galsworthy war ein englischer Schriftsteller und Dramatiker. Seine Romanreihe *The Forsyte Saga* gilt als ein Klassiker der modernen englischen Literatur. 1932 erhielt Galsworthy den Literaturnobelpreis.



ΙΟΑΝΝΕΣ ΓΑΛΣVVΟΡΤΗΥ
 Σ C R I P T O R P R A E C I P V V S
 P R A E M I O N O B E L I A N O L A V R E A T V S
 A N T E N O N A G I N T A A N N O S
 P R I D I E K A L . F E B R V A R I A S
 E V I T A E G R E S S V S
 A E T AT I S L X V

M M X X I I I

Am 31. Januar vor 90 Jahren starb
 der vorzügliche Schriftsteller und Nobelpreisträger
 JOHN GALSWORTHY
im Alter von 65 Jahren.

Gottlieb Stolle

* 3. Februar 1673 in Liegnitz
 † 4. März 1744 in Jena

Gottlieb Stolle war ein deutscher Universalgelehrter.



A M A D E V S V V L G O G O T T L I E B S T O L L E
 P O L Y H I S T O R E X S V P E R A N S T E V T O N I C V S
 T R E C E N T I S Q V I N Q V A G I N T A A N N I S A N T E
 III N O N A S F E B R V A R I A S N A T V S

M M X X I I I

G OTTLIEB S T O L L E ,
 e i n h e r a u s r a g e n d e r d e u t s c h e r U n i v e r s a l g e l e h r t e r ,
w u r d e a m 3 . F e b r u a r v o r 3 5 0 J a h r e n g e b o r e n .

Spencer Fullerton Baird

* 3. Februar 1823 in Reading, Pennsylvania
 † 19. August 1887 in Woods Hole, Massachusetts

Spencer Fullerton Baird war ein amerikanischer Ornithologe und Ichthyologe.



S P E N C E R F V L L E R T O N B A I R D
 E G R E G I V S O R N I T H O L O G V S A T Q V E I C H T H Y O L O G V S
 Q V I N Q V I E S Q V A D R A G I N T A A N N I S A N T E
 D I E T E R T I O F E B R V A R I I I N P E N N S Y L V A N I A N A T V S

M M X X I I I

SPENCER FULLERTON BAIRD,
 ein hervorragender Ornithologe und Ichthyologe,
wurde am 3. Februar von 200 Jahren in Pennsylvania geboren.

Gerhard Wolf

* 16. Oktober 1928 in Bad Frankenhausen (Kyffh.)

† 7. Februar 2023 in Berlin

Gerhard Wolf war ein deutscher Schriftsteller, Verlagslektor und Verleger.



GERHAR DV_S LV_PV_S VVL_GO VVOL_F
 S C R I P T O R A C E D I T O R S T R E N V V_S
 VII IDV_S FEBR VARIAS VITA CESSIT

* * *

GERHAR DV_S VVOL_F
 S C R I P T O R ATQ V E E D I T O R P R A E C L A R V_S
 VII IDV_S FEBR VARIAS BEROLINI OBIIT
 AETATIS SVAE XCIV R. I. P.

M M X X I I I

Der Schriftsteller und tüchtige Verleger
 GERHARD WOLF ist am 7. Februar gestorben.

* * *

Der Schriftsteller und berühmte Verleger
 GERHARD WOLF ist am 7. Februar
 im Alter von 94 Jahren
 in Berlin gestorben.
Möge er in Frieden ruhen.

Hans Jonas

* 10. Mai 1903 in Mönchengladbach
 † 5. Februar 1993 in New Rochelle

Hans Jonas war ein deutsch-amerikanischer Philosoph, der von 1955 bis 1976 als Professor an der *New School for Social Research* in New York lehrte.

„Das Prinzip Verantwortung“ (1979) gilt als sein bedeutendstes Werk.



IOANNES JONAS
 BONVS PHILOSOPHVS TEVTONICVS
 STIRPIS IVDASICAE
 ANTE SEXIES QVINQVE ANNOS
 DIE QVIINTO FEBRVARII
 VITA DECESSIT
 AETATIS SVAE LXXXIX

 MMXXIII

Am 5. Februar vor 30 Jahren starb
 der große deutsche Philosoph jüdischer Herkunft
HANS JONAS im Alter von 89 Jahren.

Wilhelm Conrad Röntgen

* 27. März 1845 in Lennep, heute Stadtteil von Remscheid
 † 10. Februar 1923 in München



G V L I E L M V S C O N R A D V S R O E N T G E N
I N S I G N I S P H Y S I C V S T E V T O N I C V S
V I G I N T I L V S T R I S A N T E E X V I T A E G R E S S V S

M M X X I I I

Der ausgezeichnete deutsche Physiker
WILHELM CONRAD RÖNTGEN
 starb von 100 Jahren.

Wilhelm Conrad Röntgen war ein deutscher Physiker und Hochschullehrer. Er entdeckte am 8. November 1895 im Physikalischen Institut der Universität Würzburg die „X-Strahlen“ (die nach ihm benannten Röntgenstrahlen). Hierfür erhielt er 1901 bei der Vergabe der ersten Nobelpreise den Nobelpreis für Physik. Seine Entdeckung revolutionierte unter anderem die medizinische Diagnostik und führte zu weiteren wichtigen Erkenntnissen des 20. Jahrhunderts, z. B. der Entdeckung und Erforschung der Radioaktivität.

Quelle: Wikipedia

Bert Brecht

* 10. Februar 1898 in Augsburg
 † 14. August 1956 in Ost-Berlin



B E R T O L D V S B R E C H T
 P R A E S I G N I S S C R I P T O R E T P O E T A T H E O D I S C V S
 V I G I N T I Q V I N Q V E L V S T R I S A N T E
 I V I D V S F E B R V A R I A S
 A E L I A E A V G V S T A E N A T V S

M M X X I I I

Der ausgezeichnete deutsche Schriftsteller und Dichter
 BERT BRECHT wurde am 10. Februar vor 125 Jahren in Augsburg geboren.

BERT BRECHT war ein einflussreicher deutscher Dramatiker, Librettist und Lyriker des 20. Jahrhunderts. Seine Werke werden weltweit aufgeführt. Brecht hat das epische Theater beziehungsweise „dialektische Theater“ begründet und umgesetzt. Er zählt zu den bedeutendsten deutschen Dichtern des 20. Jahrhunderts. Seine Lyrik umfasst nahezu alle Gattungen wie Formen und oszilliert zwischen Politik und Subjektivität.

Quelle: Wikipedia

Antony Flew

* 11. Februar 1923 in London

† 8. April 2010 in Reading

ANTE VIGINTI LV STRA

III IDVS FEBRVARIAS LONDINI NATVS

ANTONIVS FLEVV

NOBILIS PHILOSOPHV BRIITANNICVS

ATHEISTA FACTVS EST DEISTA

* * *

ANTONIVS FLEVV

PHILOSOPHV STRENVV BRIITANNICVS

ARTIS LOGICAE PERITVS

CENTVM ANNIS ANTE

III IDVS FEBRVARIAS NATVS

M M X X I I I

Der berühmte britische Philosoph ANTONY FLEW
wurde am 11. Februar vor 100 Jahren in London geboren.
Aus dem Atheisten wurde später ein Deist.

* * *

Der tüchtige britische Philosoph und Logiker ANTONY FLEW
wurde am 11 Februar vor 100 Jahren geboren.

Antony Flew war ein britischer Philosoph, lange Zeit bekannt als Vertreter von Libertarianismus und Atheismus. Von 2002 bis zu seinem Tod war er ein Vertreter des Deismus.

In seinem Buch *Thinking about Thinking* schrieb er über eine Form von logischem Fehlschluss, die seither als *Kein wahrer Schotte (No true Scotsman fallacy)* bekannt ist.

Henri Duparc

* 21. Januar 1848 in Paris

† 12. Februar 1933 in Mont-de-Marsan



HENRICVS DVPARC
 COMPOSITOR STRENVVS
 TER TRIGINTA ANNIS ANTE
 VITA CESSIT
 AETATIS SVAE LXXXV

M M X X I I I

Vor 90 Jahren starb der tüchtige Komponist
 HENRI DUPARC
 im Alter von 85 Jahren.

Henri Duparc war ein französischer Komponist. 1868 wurden seine ersten Kompositionen veröffentlicht. 1871 gründete er gemeinsam mit Camille Saint-Saëns die *Société Nationale de Musique*. Ein frühes Orchesterwerk, die symphonische Dichtung *Léonore* (1875), machte ihn schlagartig berühmt. Als sein Hauptwerk gilt aber das Liedschaffen, durch das er (neben Charles Gounod, Gabriel Fauré und Claude Debussy) nachhaltig das Musikleben der zweiten Hälfte des 19. Jahrhunderts in Frankreich beeinflusste.

Der Komponist Henri Duparc war sehr selbstkritisch, sodass heute nur wenige seiner Werke erhalten sind. 1885 musste er wegen einer Nervenkrankheit sein Schaffen aufgeben. Bis zu seinem Tode lebte er in der Schweiz und widmete sich der Literatur und der Malerei.

B O R I S P I S T O R I V S
A D M I N I S T E R D E F E N S I O N I S N O V V S F I T
M M X X I I I

**HAEC CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSE CONFECIT
TOBIAS RÖSSLER**

ECHUS VOCES EPISTULAE

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.24. m.Mart. a.2023 h.13:36

Ansgarius Nicolao s.

Salvus sis Nicolae! Spero te bene valere, et iam magnos progressus fecisse in opere tuo magno confiiendo. Quamquam his temporibus tumultuosis, cum quantum fortunae vicissitudines in rerum mundarum possint, omnibus homunculis, etsi obtusioris mentis, licet conspicere, forsitan non semper sine cunctationibus studia doctorum ad effectum ducantur! Ioco remoto, et ne nimis grandiloquio, vel potius cacozeliae, indulgeam, quid agis? Ut vales? Quo modo res se habet in Germania? Vere novo, iam resurrectio proprius adventat, brevi ut omnia sordida atque obsoleta omissa licet faciamus! Etsi breviter, **taurice te salutat Ansgarius**

d.24. m.Mart. a.2023 h.17.21

Nicolaus Ansgario suo Osloensi sal.pl.

Gratias plurimas, mi care sodalis, quod perhumaniter ex me quaeras, quid de me quidve de operis meo processu. Deo gratias ago, quod - adversus magnas mundi perturbationes bellicas, energeticas, oeconomicas, pseudopandemicas, genderisticas, climatomanicas, immigratorias, moropoliticas etc, etc, etc --- unâ cum uxore meâ adhuc aliquatenus quietê atque iucundê vivere possum studiis meis lexicographicis deditus. Quae studia quamquam iterum iterumque per ambages retardata tamen continuo procedunt. Mox tibi mittam proximum fasciculum animo suspenso tuam recensionem exspectans. Haec raptim, mox certê plura. Utinam pancraticê valeas, mi Ansgari humanissime, et pergas mihi scribere quam plurima et Latinissima. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.24. m.Mart. a.2023 h.20:35

Nicolaus Ansgario s.

Iamne legisti epistolium hodie tibi scriptum? En habes P.S. Mitto tibi symbolam Glossarii mei. Cum sciam tibi artem figurativam esse dilectissimam, rogo te ut iudices de iudicio Thomae Wolfe deque Picassone. Scribas mihi, ut inscribam lexico meo. **Vale semper, NIC.**

ars abstracta

530

abstrakte Kunst – abstract art – art abstrait – arte abstracto – arte astratta

Ars *abstracta* dicitur id genus artis figurativa, quod plus minusve absolutum et remotum est a naturâ rebusque realibus. Figmenta istius artis quid valeant et quid sibi velint saepe aut difficillimê aut omnino non intellegitur. Sed raro sunt spectatores tam sinceri ut confiteantur se non intellegere, qualis idea et sensus subsit artificio abstracto; nam quis vult dici barbarus et banausus parum eruditus et artis subtilissimae ignorantissimus? At nemo est, quin facile intellegat istud genus artis figurativa aenigmaticum exortum esse arte photographiae technicâ naturam rerum etiam etiamque subtilius et exactius et fidelius et perfectius reddente et illustrante. Concreta quia apparatu technico potuerunt exhiberi, artifices se converterunt ad exhibenda abstracta. Quod attinet ad indolem et facultates *Pauli Picasso* Hispani unius ex artis abstractae pictoribus illustrissimis et celebratissimis, *Thomas Wolfe*, Americanus diurnarius et auctor fabularum romanicarum necnon artis figurativa architecturaeque criticus (1930-2018), sibi non temperavit, quin iudicium ferret audax severumque: Picasso nullâ aliâ causâ ab arte concretâ ad abstractam se convertisse, nisi quia ineptior atque inhabilior fuisset, quam ut concreta pingens rectê observaret proportiones *perspectivas*. En istum calumniatorem modernae artis elegantissimae... Thomam istum incredulissimum... nefas esto!

d.25. m.Mart. a.2023

Ansgarius Nicolao s.

Salvus sis! Nullum epistolium accepi praeter hoc ipsum, quod modo misisti. Non prorsus in errore versatur Thomas Wolfe, Picasso procul dubio magis nugator quam pictor fuit. Nihilo secius elementa artis picturae conspecta habuit. - Si bene artem figurativam (occidentalem) intellexi, pictores mediaevales, aetatis renatarum artium, aevi baroci (de artificibus antiquitatis perpauc cognovimus) non simulacra rerum naturae finixerunt, sed coniunctionem mentis et cum rebus externis, et cum spiritualibus. Ars igitur figurativa non est repraesentatio realitatis, sed repraesentatio perceptionis realitatis. Imagines pictae aevi medii Sanctae Virginis Mariae non effingunt mulierculam quandam bene moratam, vero amorem animae erga Deum. Attamen, iam saeculo duodecimmo, in Europa notio rerum spiritualium iuxta cum fide christiana gradatim evanuit, ut homines picturam non intelligerent nisi ut repraesentationem rerum naturae. Saeculo undevicesimo progrediente, Lutetiae parisiorum, iam fuerunt critici qui dicerent artem pictoram extinctam esse, cum machinulis photographicis res externae multum acutius depingerentur! De his rebus multa dicenda sunt, sed ne quam aequo prolixius bullas nugatas effutiam, tantum unum exemplum afferam, non artis sacrae, sed pictoris saecularis ET spiritualis. Ecce imago quae inscribitur concenctus campestris, ab Titiano confecta. - Hac in pictura videmus duo homines, cultores artium bonarum, in loco amoeno versantes, alterum musicum, qui lutana canit, alterum poetam, qui voce canit. Etiam licet admirari duas virgunculas denudatas miraque specie, quae quoque, ni oculis fallimur, in hoc campo romano aut tusco ambulantur. Attamen, mirabile dictu, nec musicus, nec poeta ullam earum rationem habent! cur? Hae puellae candidae musae sunt, sine dubio Euterpe, tibia recta canens, et Erato, e fonte Castaliae aquam haurians, quae non nisi oculis mentis musici pariter ac poetae obversantur. Hic igitur contemplamur coniunctionem animi cum artibus. Pictor etiam lepide significavit nexus artium bonarum et cupiditatis venereae. Nullo modo haec pictura est descriptio vitae rusticanae et morum puellarum venetarum. Haec breviter et congeste!

Basilice te salutat Ansgarius

IOHANNES PETRUS BATAVUS

d.22. m.Febr. a.2023 h.11.37

Nicolaus Leo Latinus amico suo Batavo Valdorffiano sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, Iohannes Petre benevolentissime? Iam ex aeonibus nihil a te scriptum accepi. Accepistine Epistulam meam Leoninam 271? Esne occupatissimus discipulis Valdorpianis docendis? Quid de examine magistrorum quod superare voluisti? Interimne aliquem textum Carmiggeltianum an Maupassantianum toga ornavisti? Si basilicē vales, quid cessas felicitatem tuam Latinē praedicare? Si quid tibi adversi accidit, refer tamen amico; habet enim aliquantum solacioli aegritudinis enarratio. Pauca saltim verba mihi scribe, ut sciam te nondum ad plures abiisse! Vale semper pancraticē et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.22. m.Febr. a.2023 h.19.49

Iohannes Petrus Nicolao s.

Salvus sis tu, Leo optime maxime! Pro litteris caris plures tibi gratias ago. *Epistula* tua 271a rite accepta omnibusque breviter inspectis locos ex *Annalibus* excerptos attentius legi. (Ceterum scito me, quanquam Batavam, neque vaccam neque vaccinatum esse.) - De ministerio autem scholarum Bavarensium sic habet: ob varias causas inanes isti pharisaei mihi non permiserunt uti magistrorum examini particeps essem, me autem – quasi de re iam paene desperantes – ad colloquium quoddam invitarunt cum aliqua magistra nonnullius ut videtur auctoritatis. Illa cum variis de rebus me interrogavisset breviter decrevit iam nihil obstare ut in tali schola docerem. - Attamen anus magistra athleticarum rerum quae – mirabile dictu – in schola ista Valdorpiana ubi docere solebam de muniberibus dandis decernere videtur (nam tales scholae rectorem nullum habere solent) sapientiā

scilicet suâ noluit munus permanens mihi offerre, quippe quod me melius scit lingua Latina quomodo sit docenda. Ceterum iam antea plane patebat illam mihi prosus invidere ob causam quandam nemini mortalium notam, fortasse quod omnes discipuli mihi faverunt. - Hoc anno scholastico doceo paucas horas in quadam schola privata, more satis translaticio, quod, ut verum fatear, haud placet, quanquam multi sunt discipuli hercle iucundissimi (praecipue in 6o gradu). Praeterea varias scholas doceo pro institutis quae Theodisce V.H.S. (fortasse pro Vivat Hic Sapientia?) appellari solent, non tantum Latinam, sed etiam Batavam, Anglicam, atque pol Theodiscam linguam (pro advenis scilicet). Fieri potest ut mox etiam Graecam atque olim – Minerva favente – Gallicam linguam docturus sum. Atque, quod haud displicet, in quibusdam templis organo canere soleo atque mox ut videtur etiam chorum musicum regam. - Fateri pudet me iam diu nullas fabulas vel Maupassantianas vel Carmiggeltianas togam induisse. Omnibus vero fabulis (longioribus brevioribusque) de illo Maigret (Gallice scilicet) perlectis in animo est fabellam brevem de commissario illo optimo maximo in Latinum vertere. Quod si fecero, statim (crede mihi) te certiorem faciam. - Tu interea pancratice valeas cura, mi Leo! Imo ex corde te salutat

Johannes tuus

Nicolaus Iohanni Petro suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Summas gratias, mi care Iohannes Petre, quod prolixê atque perhumaniter mihi respondisti. Da veniam mihi, quod glossario deditus tam sero tibi respondeo. Tibi congaudeo, quod varias disciplinas, immo graecam quoque linguam docere tibi licet; condoleo, quod quaedam collega anilis (Livore edaci exesa) tibi minus favere videtur. Evidem in scholâ inter collegas veros amicos invêni rarissimê; pro certo habeo magistros naturâ non esse lusores gregales, sed pugnatores solitarios. Id quod in aulâ villae rusticae valet de gallo, in scholâ valet etiam de magistro docente: *Duo galli non possunt canere in eodem sterquilinio!* Quid tibi videtur? Collegae saepius sunt competitores (vel competitrices!) quam amici. Sed fortasse iuvat te a quisquiliis cottidianis aversum tractare rem Musis propriam; non loquor de tuâ arte musicâ, sed de figurativâ. Opinor te - ut es Batavus Rembrandtianus - etiam de figurativâ arte multa scire et certo gustu praeditum esse elegantissimo. Infra legas, quaeso, symbolam Glossarii mei, et iudica de eodem; libentissimê adnotationes tuas inseram lexico meo (nomine tuo indicato). Haec hactenus, mox certê plura. Scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper basilicê. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

JOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS

Il 25/03/2023 02:12,

Klaus Gross ha scritto: Biden fed fake news to 'fool the world' over Nord stream sabotage, says Hersh

<https://www.youtube.com/watch?v=8zZh1PE8wqo&list=PL9wl9ZX1TMB4HdSIMVPbK6Zt1pUhLVhj3>

d.25. m.Mart. a.2023 h.08:12

Joannes Carolus Nicolao suo salutem!

Apud nos venit in proverbii consuetudinem "*lancia il sasso e nasconde la mano*", hoc est *lapide conjecto manum celat*. Hoc maxime me movet quod, antequam delictum admittant, isti arctoamericanî jam habent mendacium in promptu, quo alios decipient: flagitia admittunt, sed statim se fecisse negant. - At nesciunt a nobis sontes iccirco agnoscî, quod palam mentiantur... Amicus quidam meus, qui in Civitates Foederatas abhinc quinquaginta annos migraverat, ut corruptos Italorum mores et grapheocratiae molestias fugeret libertateque operae navandae frueretur, in animi aegritutidem se in dies labi fatetur, quia videt mendacium ibi nunc regnare, ubi delictum mentiri communi consensu habebatur: crimine mendacii reum quondam vel etiam Praesidem summum arcessitum esse! Sero fortasse amicus meus animadvertisit quod nos Europaei jamdudum comperimus... **Vale!**

d.25. m.Mart. a.2023 h.13:20

Nicolaus Joanni Carolo sal.pl.

Gratias pro responsione tuâ promptâ. Verê dicis Iosephulum somniculosum lapide coniecto manum abdidisse: mandatum suum gasductûs destruendi scelestum celare velle historiolâ parum credibili. Stupendum est praesidem civitatis (adhuc?) potentissimae, quae semper dicebat se esse Dei terram propriam christianissimam ("God's own country"), clam imperare, ut destruatur vena vitalis alterius civitatis, quam appellare solet sociam, immo amicam. - Sed etiam stupendius (ne dicam peius, immo horribilis) mihi videtur, quod cancellarius civitatis fraudatae maximêque afflictæ oboedientissimê adiuvat tyrannicum amicum putativum fabellâ commenticiâ scelus suum celare conantem. Id quod cancellariolus noster facit a Romanis dicebatur "perduellio" - o quanta infamia! Verum enim vero *Jordan Peterson* psychiater ille (an eius vox per intelligentiam artificialem falsata?) - proh dolor - mihi rectê videtur iudicare de patriâ meâ, quam dicit *cacistocratiam*. Haec hactenus brevissimê, mox, si volueris, certê plura. - Animo suspenso exspecto acroasin tuam, quam facturus es - ni fallor - horâ quintâ. - Exopto, ut tibi tuoque collocutori haec oratio succedat quam felicissimê! - Vale semper, mi care sodalis. - Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

MAURUS PISINI

d.23. m.Mart. a.2023 h.18.33

Maurus Nicolao s. p. d.

Postquam *Epistulas Leoninas* novissimas, mi Nicolae, a te libentissime accepi et omnia quae ibidem inerant accurate perlegi, plurimis delectatus argumentis, hos versus concinnavi quos tibi edendos trado. Te quam maxime valere exopto.

d.25. m.Mart. a.2023 h.12.41

Nicolaus Mauro sal.pl.

Gratias plurimas, mi care poeta laureate, pro carminibus elegantissimis, quae proximo in fasciculo libenter publicabo. Infra invenies symbolam Glossarii Orbis Picti mei, quae spectat ad ARTEM ABSTRACTAM. Rogo te, ut mihi scribas, quid tibi videatur de arte abstractâ deque Picassone eiusque vituperatione Wolfeanâ. Libenter verba tua inseram symbolae lexici futuri.
ars abstracta

530

abstrakte Kunst – abstract art – art abstrait – arte abstracto – arte astratta

Ars *abstracta* dicitur id genus artis figurativa, quod plus minusve absolutum et remotum est a naturâ rebusque realibus. Figmenta istius artis quid valeant et quid sibi velint saepe aut difficillimê aut omnino non intellegitur. Sed raro sunt spectatores tam sinceri ut confiteantur se non intellegere, qualis idea et sensus subsit artificio abstracto; nam quis vult dici barbarus et banausus parum eruditus et artis subtilissimae ignorantissimus? At nemo est, quin facile intellegat istud genus artis figurativa aenigmaticum exortum esse arte photographiae technicâ naturam rerum etiam etiamque subtilius et exactius et fidelius et perfectius reddente et illustrante. Concreta quia apparatu technico potuerunt exhiberi, artifices se converterunt ad exhibenda abstracta! Quod attinet ad indolem et facultates *Pauli Picasso Hispani* unius ex artis abstractae pictoribus illustrissimis et celebratissimis, *Thomas Wolfe*, Americanus diurnarius et auctor fabularum romanicarum necnon artis figurativa architecturaeque criticus (1930-2018), sibi non temperavit, quin iudicium ferret audax severumque: Picasso nullâ aliâ causâ ab arte concretâ ad abstractam se convertisse, nisi quia ineptior atque inhabilior fuisset, quam ut concreta pingens rectê observaret proportiones *perspectivas*. En istum calumniatorem modernae artis elegantissimae... Thomam istum incredulissimum... nefas esto!

Audiesne hora quinta verba Joannis Caroli Rossi acroasin facientis? Vale semper pancratice. Haec hactenus, mox certe plura. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

RADULFUS LAVALLE BONAEROPOLITANUS

d.28. m.Ian. a.2023 h.12:03

Nicolaus Radulfo suo optimo salutem plurimam dicit. SVBEEV

Cum mihi iam scripseris te proximis septimanis iter montanum facturum vix accessum habiturum esse ad interrete, exspecto te hanc epistulam sero demum accepturum esse. Tamen liceat tibi iam nunc scribere. Huic epistolio in appendice, care amice, subiungam primam partem operis mei, quam tuis trado manibus fidelibus omni quâ par est observantiâ te rogans, ut - si vacabis - attentis oculis benevolis perlustres. Est enim primus fasciculus GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI: fasc. I (A-antemna, p.1-68). Si permiseris, ceteros fasciculos tibi mittam septimanatim, ut - sub reservatione Iacobeâ - ultimus fasciculus, quo opus coronabitur - aut a lepore paschali tibi afferatur - aut - si tardissimê - a bove pentecostali (qualis bestia sollemnissimê ornata regionibus ruralibus interdum, quantum scio, adhuc appetit die festo illo flammularum polyglotto). Velim tibi, care Radulfe, fructûs laborum meorum pandere, ut peritiâ tuâ sermonis Latini necnon rerum technicarum usus mihi scribas quidquid tibi de Glossario meo in buccam venerit. Scribas mihi, num has litteras cum fasciculo integras acceperis. Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus.

d.29. m.Ian. a.2023 h.12:14

Carissime doctissimeque Nicolae

Primum omnium, quid sit reservatio Iacobea ignoro. Estne silentium quod Iacobus apostolus, ut legis valde observans, exercebat? Quoquo modo, nemini tuos fasciculos mittam: certus esto. Semper me honoras, etsi a merito longe disto: utinam Latinitatem modo tam eruditio ut tu, doctor Licoppe aliquique latinistae hodierni colunt, ego ipse colerem. - Non recepi adiunctum: mitte id, precor. Denuo dico, non dignum hoc labore quem profers me considero. Attamen, si tibi desiderium manet, legam maximo secreto tuos fasciculos, in quibus –pro certo scio– nihil mali inveniam.

Grates denuo tibi ago: res políticas (mica salis dico) colere debes, quia me laudas. Politici enim persaepe adulationibus populi favores capere temptant (male in eos loqui numquam desino, quod cara uxor mea semper mihi improbat: “aegrotior mente in dies fies, si continue in pravos politicos impetum facis, quia autumnalibus foliis numerosiores sunt.”) - Ignosce, precor, meo hispanico parumque ciceroniano modo. **Tuus Radulfus, qui mirari tuam doctrinam non desinit.**

d.22. m.Febr. a.2023 h.10:58

Doctissime Nicolae,

Gratias ob Epistulam Leoninam missam. Utinam latino sermone meam opinionem dare possem: tuae scientiae, ut dicam bono sensu, invideo. Quintam dosin vaccinationis non recepi, etsi política propaganda receptionem monet. Non medicus sum neque scientificus sed me terrent quaedam aliorum, ut tua es, admonitiones. Non raro, mea sententia, politicos viri oeconomici comitant, ut ambo pecuniam non sanctam obtineant. Pulchrum carmen legi. Sequare hodie lectionem meam.

Tuus Radulfus

d.22. m.Febr. a.2023 h.11.16

Nicolaus Radulfo s.

Gratias plurimas pro responso. Semper gaudeo de echûs vocibus lectorum, quibus animus meus refocilletur, ne desinam Latinê scribere. Ceterum puto filiam tuam haematologam mox habituram esse campum investigandi latissimum. Nam pseudovaccinatione sanguinem innumerorum hominum pessime mutatum iri. Interdum quantitas sceleris maior est, quam ut ab intellectu hominum frugalium capiatur. Itaque studeamus, ut mala evitabilia evitemus et patiamur inevitabilia et oremus Deum, ut nobis det facultatem unum genus malorum ab altero discernendi. Haec hactenus, mox certe plura. Tu mi care Radulfe ne cede malis, sed contra audientior ito. Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus.**

d.30. m.Mart. a.2023 h.08:09

Nicolaus Leo Latinus

Radulfo suo poetae gauchonique sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

En habes symbolam Glossarii mei, quam scripsi de patria tua. Placetne? Corrige et supple, si quae displicant. Mutatione libenter respiciam. Scribe mihi et vale pancratice. Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus

d.30. m.Mart. a.2023 h.21:21

Carissime Leo Latine

Postea melius ad te scribam. Gratias quam plurimas. Vide, precor, infra. Tuus Radulfus.

Emendationes: ad cultum humanum civilemque - fuerunt immigratores Iberico et indigenae. Iberici in nominativo.

d.01. m.Apr. a.2023 h.00:35

Carissime doctissimeque Leo Latine

Gratias ob tuum scriptum de patria mea. Gratias etiam ob mentionem quam de me fecisti. Cicero et Quintilianus in te hodie vivunt. **Tuus Radulfus**

d.02. m.Apr. a.2023 h.22:25

Nicolaus Radulfo s.

Nimio honore, care amice, me afficis. Nihil sum nisi operarius in vineâ Latinitatis. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

GUGLIELMUS MONETTI

d.29. m.Ian. a.2023 h.13:37

Nicolaus Guglielmo suo optimo salutem plurimam dicit. SVBEEV

Guglielme carissime, quid fit, quid agitur? Iam diu nihil accepi a te scriptum. Utinam novum annum faustis omnibus incohaveris! Accepistine Epistulam Leoninam 270? Huic epistolio in appendice, care amice, subiungam primam partem operis mei, quam tuis trado manibus fidelibus omni quâ par est observantiâ te rogans, ut - si vacabis - attentis oculis benevolis perlustres. Est enim primus fasciculus GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI: fasc. I (A-antemna, p.1-68). Si permiseris, ceteros fasciculos tibi mittam septimanatim, ut - sub reservatione Iacobeâ - ultimus fasciculus, quo opus coronabitur - aut a lepore paschali tibi afferatur - aut - si tardissimê - a bove pentecostali (qualis bestia sollemnissimê ornata regionibus ruralibus interdum, quantum scio, adhuc appareat die festo illo flammularum polyglotto). - Velim tibi, care Guglielme, fructûs laborum meorum pandere, ut peritiâ tuâ sermonis Latini necnon rerum technicarum usus mihi scribas quidquid tibi de Glossario meo in buccam venerit. - Scribas mihi, num has litteras cum fasciculo integras acceperis. Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.06. m.Febr. a.2023 h.12:50

Gulielmus Nicolao s. p. d.

Noli quaeso, care Nicolae, silentium, quo sum hoc usque usus, in malam partem accipere; negotiis enim distentus ne muttire fere queo. Di meliora! Sed pro tuis epistulis, quas laeto animo, ut soleo, accepi, tibi gratias habeo agoque: valde tibi gratulor de symbolis quas supra Latinitate viva, Pontifice Benedicto eiusque abdicatione, bello denique Ucrainico scripsisti. Quod mihi primum Lexici tui fasciculum miseris exutiendum, hoc mihi honori duco; nescio simne tanto par muneri. Quod aggrediar libenter, tamen ut potero. **Vale!**

d.6. m.Febr. a.2023 h.15:38

Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.

Summas gratias, Guglielme carissime! Ut verum confitear, litteris tuis lēctis tu mihi videris quodammodo resurrexisse, quem paene iam suspicatus eram - sit venia verbo! - ad plures abiisse. Nimis diu cum nil scripseris, te nunc saluto tamquam filium illum biblicalum perditum aut saltim tamquam agnum in deserto amissum et contra spem repertum. "Negotiis distentus ne muttire ferē quis"? Fuisti ergo laboriosior quam ut muttires? Mirum lectu! Vix credibile! Sed ego tam credulus sum quam ille Iudas Apella, de quo dicit Horatius. Utinam opera tua bene procedant. Mox accipies EL 271. Vale pancraticē et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.12. m.Febr. a.2023 h.23:13

Gulielmus Nicolao sal. Pl. d.

Heus, ita est mi amice; res tene quales sunt apud me. Impositus mihi labor vertendi Naturalis Historiae libri septimi, adnotationum copia cingendi, praefatione muniendi, intra mensem proximum, ut liber ante aestatem edatur. Atqui brevi instabunt fustibus editores. Sic pluribus mensibus nihil nisi Plinium spiro. Hinc facile intellegis qualiter me habeam, Pliniana duritie apposita. Nam eius sermone saepe nil implicatius, certe vix quippiam durius. Quin ansam hanc statim arripio et problema philologum tibi subiicio. Legitur enim paragrapho 189 (loquitur ibi de animae mortalitate, eosque ludificat qui sibi immortalitatem animarum fingunt) haec sententia (sic manu exarati codices): *Puerilium ista delenimentorum avidaeque numquam desinere mortalitatis commenta sunt*. Quid est "puerilium ista delenimentorum"? An genetivus existimationis? Nam altera pars satis perspicua: "commenta sunt mortalitatis (h. e. hominum) avidae nunquam desinere (scil. vitam, h. e. nunquam mori cupientis)". Sed nonne fieri possit ut pro "ista" legamus "instar"? "Puerilium instar delenimentorum". Fac me certiore quid tibi de hoc videatur. **Vale interea!**

d.12. m.Febr. a.2023 h.23:21

Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.

Gratias pro nuntio tuo. In praesenti finitus sum EL 271, quam mox accipies. De problemate tuo critico deliberabo, postea tibi scribam, quidquid mihi in buccam venerit. Habesne editionem Naturalis Historiae Königii & Winkleri, i.e. Heimerianam Latino-theodiscum? Quam ego possideo. Ceterum tibi exopto, ut animo tranquillo quam optimē progrediaris. Haec raptim, mox certē plura.

Nicolaus Leo Latinus

d.15. m.Febr. a.2023 h.00:02

Gulielmus Nicolao suo s. p. d.

Optas mihi perhumaniter sim animo tranquillo: qua re nil gratius mihi. Nam perpetuis laboribus animi tranquillitas frangibilis. Propterea tibi gratias habeo. Editionem Plinianam latino-germanicam Bibliotheca nostra possidet, eaque quoad librum 7um usus sum haud semel, utilissimamque comperii. Intra aliquot hebdomas labore hoc, si di dederint, solutus, tuo operi operam, quam meretur (nam est dignum quod attentissime legatur) tandem praestabo. **Interea vale, nosque Latinitate Pliniana vividiore beare pergas.**

d.15. m.Febr. a.2023 h.00.04

Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.

Feliciter progredere, mi care Guglielme. Tu ne cede malis sed contra audentior ito.

Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**.

d.17. m.Febr. a.2023 h.18.23

Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.

Leoninae CCLXXI ultimam manum impositurus relegens epistulam tuam de loco Pliniano tibi molesto haec dico: Minimē necessaria est coniectura a te proposita. Nam genitivus pluralis, qui est *puerilium delenimentorum*, minimē dependet a pronomine demonstrativo, q.e. *ista*, sed a substantivo, q.e. *commenta*. Revera pronomen est subiectum sententiae et spectat ad varias ideas immortalitatis antea memoratas, quas Plinius reprobavit. *Commenta* est nomen praedicati. Ecce tota sententia Pliniana: **Puerilium ista delenimentorum avidaeque numquam desinere mortalitatis commenta sunt.** Nunc studeo tibi cohaerentiam singulorum verborum indicare eo quod ordinem verborum instituo non artificiosum, sed quam simplicissimum: **Ista sunt commenta delenimentorum puerilium atque mortalitatis, quae aida est numquam desinere.** Quid nunc? Nonne nunc est sententia Pliniana bene intellegibilis - sine ullā coniecturā? Scribe mihi, quid tibi videatur de explicatione meā. Utinam bene progrediaris! Medullitus **Nicolaus Leo Latinus**

d.22. m.Febr. a.2023 h.12.53

Nicolaus Guglielmo interpreti Plinii occupatissimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid de loco Pliniano? Tibi scripsi expicationem meam sententiae illius Pliniane. Iamne legisti? Quid sentis? Accepistine EL 271? Iamne inspexisti? De his aliisve scribe quidquid tibi in buccam venerint. Vale semper et bene progredere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.23. m.Febr. a.2023 h.16:08

Gulielmus Nicolao Leonino eidemque Latino s. p.

Epistulam tuam de loco Pliniano legi, **tibique de ea re eo ipso die respondi. Nonne epistulam meam habuisti?** Epistula Leonina novissima ad me pervenit, tibique de hoc argumento scribenti valde faveo. Utinam omnes symbolas, quas de re pandemica scripsisti ac Latinitate donasti, volumine quodam colligeres! **Vale.**

d.23. m.Febr. a.2023 h.18.17

Guglielmus Nicolao s.

En ecce iterum mitto epistolium. Vale plurimum, mihi quisquis inmoranti parce (nam varie atque mire Plinius adhibuit sermonem Latinum). **Vale G.**

d.17. m.Febr. a.2023 h.21:55

Nicolao suo Gulielmus s. p. d.

Tibi gratias ago pro tempore et opera quam quaestiunculae meae impendisti, optime. Ceterum mihi perspectum est pronomen “ista” haberi pro subiecto totius sententiae, accedente praedicativo “commenta”. Sed etiam contraria ratio valet, nempe ut “commenta” (< “commentum, i”) absque pronomine ullo sit subiectum (modo subaudiamus hoc nomen substantivum ad ea referri, quae praecedenti sententia exposita sunt, quod tamen nullo negotio assequitur et propter sensum et propter propinquitatem). Hinc tamen quomodo “puerilium delenimentorum” congruat cum cetera parte sententiae non liquet. Istud enim me movet, quod cum “mortalitas” metonymice significet “genus humanum, multitudo mortalium”, contra “delenimentum” non nisi “irritamentum” sive “invitamentum” est. Est enim “mortalitatis”, ut dicitur, genitivus subiectivus: significat eum, a quo quid factum. Sic enim explicemus sententiam: “(Quae modo exposui, ea) mortalitas commenta est [= homines commenti sunt quae modo exposui], eo quod nunquam veli(n)t mori”. Sed num est “puerilium delenimentorum” genitivus subiectivus? Et quo pacto possint “delenimenta puerilia” aliquid ut subiectum comminisci? Nisi ego in re plana laboreo. **Vale plurimum!**

d.30 m.Mart. a.2023 h.13:51

Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Iam diu nihil a te accepi scriptum. Quid fit, quid agitur, care Guglielme? Fortasse iuvat te a laboribus Plinianis difficillimis paulisper aversum tractare alteram rem a Musis haud alienam. Pro certo habeo te - ut es vir studia humaniora amplexus - etiam de figurativâ arte multa scire et certo gustu praeditum esse elegantissimo. Infra legas, quaeso, symbolam Glossarii mei, et iudica de eodem; libentissimè adnotationes tuas inseram lexico meo (nomine tuo indicato). Haec hactenus, mox certè plura. Scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit. Libenter verba tua (nomine indicato) inseram lexico meo. Vale semper basilicê. Medullitus te salutat Nicolaus.

d.31 m.Mart. a.2023 h.01:27

Nicolao Gulielmus s.p.d.

Gaudeo aliquid accipere abs te litterarum; nam nuper mecum quaerebam amico quid meo accidisset, a quo nihil iam diu litterarum. Itaque tibi epistulam misi ante tres dies. Nonne illam accepisti? Eam inferius adiungam. - De symbola super arte abstracta quid dicam, nisi quod mihi candor tuus et gratissimus et acceptissimus fuit? Unum habeo quod addam: Picassum ferunt hoc ferme dixisse, se iam inde a puero optimo cuique Renatarum Artium pictori parem, totam vitam enisum ut illam artem dedisceret. Ita factum, ut senex tandem posset velut puer penicillum tractare. Quod et ubi dixerit, locum referre non possum, et utrum verum fuerit, nescio. Sed cave ne lapides in te voces lapidantium, si contra deum illum dixeris.

De nomine meo nihil, quaeso, sollicitus fueris. Ut tibi scripsi, pauci dies restant antequam librum editoribus tradam. Inde vacabit tandem lexico tuo aurem accommodare, dignum hercle in quo non perfunctorie versemur. Vale plurimum!

P. S. hanc epistulam tibi misi die 27 huius mensis:

Gulielmus Nicolao s.p.d.

Eho te, numquid ex Germania novi? Unus mensis eoque amplius excessit ex quo aliquid abs te habui litterarum; habuistine tu meas litteras de loco Pliniano iterum missas? Brevi hoc labore perfungar; pauca restant expedienda, eaque cito. Tum tandem potero ingeniolum meum tuum ad opus lexicographicum admovere. Vale!

d.31 m.Mart. a.2023 h.02:17

Nicolaus Guilelmo s.

Gratias plurimas, care sodalis, pro utroque epistolio et pro verbis tuis scitè factis, quae libenter inseram lexico meo. Quod liber tuus est, ut aiunt artis chemicae sollertes banausi fuliginosi - "in statu nascendi" - laeto animo tibi congaudeo. Utinam a philologis accipiatur applausu benevolentissimo. Haec raptim; mox, si volueris, libenter plura. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

MARCUS CRISTINI

d.28. m.Ian. a.2023 h.01:17

Nicolaus Brixiano suo optimo salutem plurimam dicit. SVBEEV

Quid fit, quid agitur, sodalis serenissime? Accepistine Epistulam meam Leoninam 270? Quid tibi videtur de eius argumentis? Huic epistolio in appendice subiungam primam partem operis mei, quam tuis trado manibus fidelibus omni quâ par est observantiâ te rogans, ut - si vacabis - attentis oculis benevolis perlustres. Est enim primus fasciculus GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI: fasc. I (A-antemna, p.1-68). Si permiseris, ceteros fasciculos tibi mittam septimanatim, ut - sub reservatione Iacobeâ - ultimus fasciculus, quo opus coronabitur - aut a lepore paschali tibi afferatur - aut - si tardissimè - a bove pentecostali (qualis bestia sollemnissimè ornata regionibus

ruralibus interdum, quantum scio, adhuc appareat die festo illo flammularum polyglotto). Velim tibi, care Marce, fructūs laborum meorum pandere, ut peritiā tuā sermonis Latini usus mihi scribas quidquid tibi de Glossario meo in buccam venerit. Audiesne cras horā quintā p.m. acroasin quam faciet *Theodericus Sacratus de Livio Andronico?* Utinam Vulcanus deus nos adiuvet, qui est rerum technicarum peritissimus. Scribas mihi, num has litteras cum fasciculo integras acceperis. Vale pancreaticē et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.29. m.Ian. a.2023 h.16.23

Marcus Nicolao suo s.p.d.

Gratias tibi iterum ago pro glossarum primitiis mihi missis, quas attento animo legi. More solito scientiam tuam plusquam Isidorianam miratus sum, cum intellegerer te non vero glossas sed Etymologias alteras scripsisse. Encyclopaediam quandam Latinitati donasti, quod est opus doctum, laudabile et aevo nostro perquam utile, quia dilucide ostendit omnia Latine dici posse. Adnotatiunculas passim scripsi nubeculis usus, quae fortasse tibi erunt subsidio in glossis emendandis. Due sunt quaestionis alicuius momenti, mea quidem sententia. Inter testimonia ab initio mentionem ThL facere opus est, ut recte in paginis insequentibus scripsisti. Dein Caroli Egger *Lexicon nominum locorum* commemoraverim quotienscumque sermo fiat de nomine loci. Hebdomadis proximis futuris libenter ceteros fasciculos perlegam et, quantum potuero, menda vel dubia indicabo. **Cura, ut optime valeas, et labores tuos lexicographicos impigerrimos perge feliciter!**

d.30. m.Mart. a.2023 h.13:45

Nicolaus Marco suo sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Iam diu nihil a te accepi scriptum. Quid fit, quid agitur, care Marce? Fortasse iuvat te a quisquiliis cottidianis aversum tractare rem Musis propriam. Opinor te - ut es polyhistor Latinissimus - etiam de figurativā arte multa scire et certo gusto praeditum esse elegantissimo. Infra legas, quaeso, symbolam Glossarii mei, et iudica de eodem; libentissimē adnotationes tuas inseram lexico meo (nomine tuo indicato). Haec hactenus, mox certē plura. Scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit. Libenter verba tua (nomine indicato) inseram lexico meo. Vale semper basilicē. Medullitus te salutat **Nicolaus.**

d.02. m.Apr. a.2023 h.18.20

Marcus Nicolao suo s.p.d.

Gratias tibi ago, optime sodalis, pro epistula tua. Fortuna favente valetudine utor bona et in studia mea Latina historicaque incumbo. Gaudeo, quod Glossarium sedule scribere pergas. Estne haec causa, cur Epistulae tuae Leoninae rariores factae sint? Noli - quaeso - Latinitatis vivae et perennis fautores commentationibus tuis diutius privare! - Quod ad artem figurativam attinet, fateor me perpaucā scire... Et ego artem abstractam parvi facio, cum cuivis picturae sensus motusque animi innumerabiles attribuere possis et nemo sit qui mente statim comprehendat, quid ea sibi velit. Quis autem neget imagines pictas et statuas abstractas speculum esse aevi nostri moderni, immo postmoderni, quo veritas latitare videtur et veritatum multifaria copia ubique invenitur? Ut scripsit sanctus Augustinus, nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora (*Sermo 80.8*). Glossam addo: nos sumus et artes: quales sumus, tales sunt artes... **Cura, ut optime valeas.**

d.02. m.Apr. a.2023 h.21.04

Nicolaus Marco s.

Gratias plurimas, care Marce, pro epistolio tuo. Lepida quae de arte abstractā mihi scripsisti, libenter inseram symbolae Glossarii mei. Hac nocte perficiam Epistulam Leoninam 272, quam accepturus es. Ibidem multa exempla symbolarum Glossarii mei insunt, quas, si vacabis, recenseas.

Opus meum lentius perficietur quam speraveram, sed crescit continuo, et interim multa addidici. Gutta cavat lapidem cadendo. Et valent verba illa magni lexicographi cuiusdam thesaurarii, qui dixit: *Omne opus, cum scribitur, ipsum se educat et erudit.* Haec hactenus, mox certē plura. Semper valeas, floreant opera tua privata et academica. **Medullitus Nicolaus.**

CAROLUS LYVENS VILNENSIS

d.2. m.Ian. a.2023 h.02:32

Nicolaus Brixiano suo optimo salutem plurimam dicit. SVBEEV

Quid fit, quid agitur, sodalis serenissime? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Quarum recentissima est 270, proxima mox sequetur. Quid tibi videtur de eius argumentis? Iam ex aeonibus nihil a te et de te accepi. Quis agis? Versaris Vilnae in capite Lituaniae? Habitasne ipsa in urbe an in suburbio an ruri vitam degis? - Quamquam nobis miseris Europaeis Mars imminet ambabus cum suis Lunis (Timor et Terror), tamen vehementer spero te invenisse loculum adhuc pacificum, ubi sit tibi occasiunctula, quam nactus studia colas humaniora et incumbas bonis litteris tractandis. Nam - ut ait *Thomas a Kempis* - "In omnibus requiem quaesivi, et nusquam inveni nisi in angulo cum libro." - Huic epistolio in appendice subiungam primam partem operis mei, quam tuis trado manibus fidelibus omni quā par est observantiā te rogans, ut - si vacabis - attentis oculis benevolis perlustres. Est enim primus fasciculus GLOSSARII ORBIS PICTI HEXAGLOTTI: fasc. I (Antemna, p.1-68). Si permiseris, ceteros fasciculos tibi mittam septimanatim, ut - sub reservatione Iacobeā - ultimus fasciculus, quo opus coronabitur - aut a lepore paschali tibi afferatur - aut - si tardissimē - a bove pentecostali (qualis bestia sollemnissimē ornata regionibus ruralibus interdum, quantum scio, adhuc appareat die festo illo flammularum polyglotto). - Velim tibi, care Carole, fructū laborum meorum pandere, ut peritiā tuā sermonis Latini usus mihi scribas quidquid tibi de Glossario meo in buccam venerit. - Audiesne cras horā quintā p.m. acroasin quam faciet *Theodericus Sacratus* de Livio Andronico? - Utinam Vulcanus deus nos adiuvet, qui est rerum technicarum peritissimus. - Scribas mihi, num has litteras cum fasciculo integras acceperis. Vale pancreaticē et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.28. m.Ian. a.2023 h.01:41

Carolus Nicolao Latinissimo vigilatori suo s.p.d.

Gratias Tibi ago pro epistulā tuā! Ignoscas mihi, quod iam diu nullam epistulam dedi – omnino desuevi a litteris scribendis, nescio cur. Certe est bona consuetudo et resumenda quidem. Ut verum fatear, iam ante multum tempus coepi scribere de symbolā tuā iucundissimā de historiā Latinitatis vivae, sed non perfeci. Sed accipies aliquando! - Ita, cras audiam acroasin Theoderici. Praeterea, cur Brixianus factus sum? - **Fac quam optime valeas!**

d.28. m.Ian. a.2023 h.01:50

Nicolaus Carolo s.

Care amice, ignosce lapsus meum! Scilicet te esse Vilnianum (nonne?), non Brixianum. Per errorem usus sum toponymo falso. Gaudeo te de symbolā meā aliquid scripturum esse et valdē vehementerque te adhortor, ut pergas scribere epistulas. Nam pro certo habeo epistulis consideratē scribendis animam purgari et levavi. Haec hactenus. Suspenso animo exspecto litteras tuas. **Medullitus N.**

URBANUS

d.24. m.Febr. a.2023 h.20:39

Urbanus Leoni Latino salutem.

Verba, quæ novasti in recentissima Epistula Leonina (in ducentesima septuagesima prima), mihi placuerunt. Nævium sequens, scænomanici (an scænomanii?) verbum præfero ceteris duobus, quæ tamen puto non esse omnino reicienda propter sermonis Latini varietatem. Hac de re, confiteor me nescire quo nomine Lusitano scænomanicus appelletur. Aliquando sciam. - Etiam placet de longiore Epistulæ argumento tractare: ut legi in quodam diurnario Fodinensi, vulgo dicto «Estado de Minas», apud editionem diei 16 mensis Februarii, Lusitani, ut videtur, invenerunt elephantum maximum, ita ut, excepto Influentiæ Hispanicæ tempore, id est centum abhinc annis, numquam alias talem tantumquem invenerint. Consideratis enim his tribus superioribus annis, in singulos menses desiderata sunt Lusitanorum decena milia, iterum dico: in singulos menses! Elephantus, quem invenerunt, tantus fuit, ut Minister de Valetudine Lusitanus, inito cum Organizatione Mundiali convento, sociatis laboribus rem diligenter investigare cogeretur. Ad tantam cædem explicandam, tres causas attulit: tot Lusitani aut pestilentia covidiana, aut nimia populi vetustate, aut mutationibus climaticis perierint. Duabus prioribus causis prorsus repudiatis, Minister tertiam elegit, nam, secundum peritos, æstas in singulos annos calidior evaderet. Numquid tertia exitiorum causa, quam attulerunt, illuc respicit, ut celat elephantum, quem non admittunt cernuisse? - Tandem mitto oratiunculam, quam Idibus habui Februarii. Si res placuerit, eam poteris in aliquam Epistulam includere. - **Vale tu, valeantque tui.** - Dedi Brasiliopoli, Veneris die, VI Calendas Martias, anno MMXXIII.

d.27. m.Febr. a.2023 h.02.57

Nicolaus Urbano suo carissimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Ignosce, mi Urbanissime, quod tibi tam sero respondeo. Epistula tua gratissima diutulê - proh dolor - latuit in computatro meo. Sed modo nocturnis laboribus deditus repperi, et repperi tua verba educatoribus facta et lepidissimê scripta, quae mox publicabo. - Interdum lego de patriâ tuâ in *Septimanâ mundanâ*, i.e. Hebdomadali Helvetico criticê atque sincerê scripto (o rarum cimelium!), quod êditur Turici. Vidi etiam faciem illius iudicis mephistophelici, qui nimium potestatis sibi arripuisse videtur. Prior praeses vester videtur diutius versari in Terrâ Marianâ. Sed tempora sunt difficilia nunc ubique terrarum. Noster cancellariolus nihil est nisi caniculus Iosephuli somniculosi et oboedienter gratias illi agit, quod venam nostram vitalem energophoram submarinam curavit ab urinatoribus disploidendam. Iste virunculus iuravit se consulturum esse saluti nostrae. O quanta infamia. Sed verê potentes non sunt ii, qui officialiter munera gerunt. Verê potentes stant post siparia et ducunt filis invisibilibus neurospasta, quae dicuntur "politici". Haec raptim palpebris gravibus, mox plura tibi scribam. Tu autem unâ cum tuis valê semper pancraticê. Opprobrii obdura, mi care Urbane, tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

NAEVIUS SARTORIUS

d.21. m.Febr. a.2023 h.13:30

Nicolaus Naevio s.

En habes versionem Latinam verbi q.e. „Moralbourgeoise“: +burgënsës *môrâlistæ „der Moralismus der Grünen“: **môrâlismus Prâsinôrum.** - „die grünen Moralisten“: **Prâsinî *môrâlistæ.** - „die grüne Moralbourgeoise“: +burgënsës *môrâlistæ factiōnis **Prâsinae.** En habes testimonium verbi, q.e. „+burgënsis“ - fr. *bougeois*. Vale semper, NIC.

<https://www.ardmediathek.de/video/swr1-leute/katja-diehl-oder-mobilitätsexpertin-oder-verkehrswende-hängt-die-stadt-das-land-ab/swr/Y3JpZDovL3N3ci5kZS9hZXgvbzE2OTI0NDk> Jérôme Burgensis, connu également sous les noms de **Jérôme du Bourg**, **Jérôme de Burges**, **Jérôme Bourgeois**, **Jérôme de Bourg**, est un prélat français mort en 1583, évêque et comte de Châlons, **pair de France**, **Aumônier de François 1^{er}** jusqu'en 1546, il devint **évêque de Châlons** en 1556. Son origine Jérôme Burgensis (*latinisation* de **Bourgeois**) est le petit-fils de Jean

Burgensis, médecin à [Blois](#) de la [duchesse d'Orléans](#) puis de [Louis XII](#) et le fils de Louis Burgensis, médecin de [François Ier](#), originaire de [Saint-Épain](#) et de Marie Hélin.

d.21. m.Febr. a.2023 h.13:49

Naevius Nicolao s.

Optime! Verbum "civis" profecto ineptissimum est. "Civis Romanus" numquam erat "burgensis" quidam. "Moralistus" etiam valde placet, quia eo modo appetet istos homines non per se bonos esse, sed - cum grano salis - solum magistros virtutis esse. **Vale, N.**

d.21. m.Febr. a.2023 h.14:10

Nicolaus Naevio s.

Dicendum est: moralista, -ae m. -ismus (doctrina, ideologia) - moralistes/-a, -ae m. is, qui credit/docet hanc ideologiam. **Vale, NIC.**

d.21. m.Febr. a.2023 h.14.15

Naevius Nicolao s.

Gratias tibi ago! Estne systema? moralista ideologista reductionista ("*Man is nothing but a biochemical organism*"). Assectator reductionismi. putinista (assectator VVPutini) anglista vel americanista "*Mr. Hawthorne est anglista*". genderista. Suntne omnes hae personae denominandae per suffixum -a ? **Vale, N.**

d.22. m.Febr. a.2023 h.12:30

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=bWVK8joMNWU> Sahra Wagenknecht wehrt sich gegen Kritik am Manifest | Markus Lanz vom 21. Februar 2023 O quam difficile est pati Lanzium eiusque histriionissas!!! Et de Kevino isto furcifero quid dicamus??? Culus iste stulte blaterans nullius eruditionis nullius probitatis!!! O quam admirabilis est SAHRA tam patienter tam tranquillê tam prudenter tam eloquenter argumentans!!! **Vale, NIC.**

d.22. m.Febr. a.2023 h.12:41

Naevius Nicolao s.

Femina prudens, revera. Ei etiam est vestificus/a bonus/a. Mihi placet iacca rubra eius. Lanzius blaterat... **Vale, N.**

d.22. m.Febr. a.2023 h.15:50

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=plMiEK6Z5mc> Quid dicis de Lukaschenka? Qui mihi multo melior esse videtur quam fama sua!!! **Vale, NIC.**

d.22. m.Febr. a.2023 h.16:23

Naevius Nicolao s.

Mihi videtur verba vera facere. вам надо война! "Vos egetis bello", L. dicit occidentalibus ... eius ratio politica coronaria etiam fuit insignis. Qui **nullius** rei fuit particeps! Scilicet eum esse „Zar“, „autocratam“! **Vale, N.**

d.23. m.Febr. a.2023 h.14.26

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=QTKBIMBB2Xw> Difficile est audire istam mulierculam scelera politicorum et industriae pharmaceuticae verbis levibus multo minora facere quam sunt! Et quid dicam de ignorantia crassâ quâ dicit ille relator ipsius BILD, "pandemiam fuisse reverâ, eam non esse fictam". Errat vehementer: nulla fuit pandemia, sed nullus fuit morbus nisi perfrecti uncula influentiae simillima - levior quam multis annis ante. Nisi proba coronaria inventa esset et milionesies (sine ullo sensu nisi fraudis causâ) adhibita esset, nemo aliquid scivisset de "pandemiâ"

et de "morbo covidiano-19". Qualis est morbus - medius fidius - quae non sentitur nisi probâ factâ??? **Vale, NIC.**

d.23. m.Febr. a.2023 h.14:42

Naevius Nicolao s.

Mulieris verba nimis levia sunt - adhuc non ingentem dimensionem inuriae coronariae perspexisse videtur. Sed primum audivi verbum "*fake science*" in colloquio publico spectante ad istum *Drosten* et alios eius satellites; dixit id ille professor, cuius nomen ignoro. Illud verbum mihi placet - quia est contrarium naturale quoddam verbi "*fake news*". Vale semper V

d.27. m.Febr. a.2023 h.21:36

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=9prL5Fw4tJY> KICKL APERTÊ ELOQUITUR GASIDUCTUM DESTRUCTUM ESSE AB AMERICANIS ET NORVEGIIS !!! SOPHOS!!! **Vale, NIC.**

d.27. m.Febr. a.2023 h.21:51

Naevius Nicolao s.

Ita est, aperte dixit ... eius analysis effectuum illius belli horribilis mihi recta et vera esse videtur.

Vale, N.

d.02. m.Mart. a.2023 h.10:24

Nicolaus Naevio s.

Quid de feminismo? Neque sunt feminae neque viri neque cinaedi neque tribades. Reverâ sunt - minimum - 64 sexûs! Bärboccula praedicat rem obsoletam. Nondum cognovit signa temporis. **Vale, NIC.**

d.02. m.Mart. a.2023 h.13:39

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, paene numquam cognovit Annalena signa temporis, sane bene cognoscit signa *spiritus* temporis. Multum interest inter illa et eum. Arbitror politici esse imprimis studere omnia haec quae e re publica sunt; quid attinet ad illum bellum horibile - minister rerum exterarum sapiens pacem peteret a Russia et Ucraina, medium paci se offerret. At quid facit Annalena ista? Paratne pacis disceptationes? Invitatne partes bellum gerentes ad colloquia? Immo - blaterat de pernicie Russiae, iterum iterumque censem arma mortifera Ucrainis esse praebenda. Simul ea omnem orbem et condicionem feminarum puellarumque meliorem reddere vult: hic est finis summus prasinorum moralistarum! Eum semper petunt, numquam consequentur. "*Servemus orbem terrarum!*", solent magna voce clamare. Illa verba optime sonantia non vera sunt; vera essent, si prasini adicerent haec: "- et pereat mundus". Hoc, quod paradoxum summum esse videtur, nucleus ideologiae prasinae est - ideologiae, quam dicam religionem quasi terrestrem. Etiam appetit verba mea omnino nova non esse. Ille Max Weber habitum illum rectissime dixit "*Gesinnungsethik*". Illa *moralitas habitus* (prasinorum) est cum grano salis nihil aliud nisi habitus moralistae non perscientis facta vera ("Realität"), mundum interpretantis solum ex ideologia. ***

Quondam Sherlock Holmes comiti, medico et biographo suo, Dr. Watson, dixit: "*Let's turn our minds to something more cheerful*". Etiam id ipsum faciamus! Legistine iam acta diurna illius Acerarii? De fabula quadam clara scripsit, de fabula a me dilecta, quae dicitur "*Brideshead revisited*"; etiam de auctore scripsit, illo Evelyn Waugh. Inveni ibi hanc lineam a diurnario Britannico compositam, quam Acerarius affert: „*Evelyn Waugh, wie ich ihn sehe, war ein antikes Stück auf der Suche nach einem passenden Zeitalter, ein Snob auf der Suche nach einer Klasse, und schließlich ein Mystiker auf der Suche nach einer seligmachenden Vision.*“- Placetne tibi? Mihi placet! Quaeramus aetatem nobis aptam, aetatem quandam auream! Nescio quomodo id faciamus, solum scio nos eo tempore illam vix invenire posse. Sed alibi? Aliquando? „*Evelyn Waugh, wie ich*

*ihn sehe, war ein antikes Stück auf der Suche nach einem passenden Zeitalter, ein Snob auf der Suche nach einer Klasse, und schließlich ein Mystiker auf der Suche nach einer seligmachenden Vision.“ - „Evelyn Waugh, wie ich ihn sehe, war ein antikes Stück auf der Suche nach einem passenden Zeitalter, ein Snob auf der Suche nach einer Klasse, und schließlich ein Mystiker auf der Suche nach einer seligmachenden Vision.“ - **Cura ut valeas VN***

d.02. m.Mart. a.2023 h.14:04

Nicolaus Naevio s.

<https://www.welt.de/politik/deutschland/video244056623/Merz-attackiert-Wagenknecht-wegen-Aussagen-zum-russischen-Angriffskrieg-gegen-die-Ukraine.html> Etiam Merzius Sahram incredibili hypocrisi diffamat ! Invertit veritatem: Qui pacem postulat dicitur esse cynista misericordiae expers. ORWELLIANA ABSURDITAS. **Semper vale, Nicolaus.**

d.02. m.Mart. a.2023 h.14:12

Naevius Nicolao s.

Iste Merzius servus fidus catervae bellum gerentis Americanae esse videtur. **Vale, N.**

d.04. m.Mart. a.2023 h.09:00

Naevius Nicolao s.

<https://www.nachdenkseiten.de/?p=94575>

Colloquium excellentissimum! Recte illi senes statuunt istam catervam Americanam bellum gerentem habere maximum momentum ad opinionem publicam in Germania. Videmus multos politicos - velut Merzius, servum istum "Saxi Atri" - eo tempore studere bellum istud horibile extendere praebendo Ucraino exercitui arma mortifera. Cui bono? Quicumque condicionem clare videt et analysis geostrategicam sobriam facit, cognoscere potest haec omnia Europae bono non fieri. - Sed quaerere volo ex illis viris honestis colloquium habentibus quomodo nos Germanos liberari possimus ab illo momento politico et militare Americano. Dubio an sit nobis facultas realis. Quid sentis? Umquamne Germania ipsa cursum rerum geopoliticarum statuere poterit? Ceterum Rogerius Helveticus opinatur istam institutionem supranationalem (illa "EU") illi fini libertatis impedimentum maximum facere - istam EU Europam non confirmare, sed debilitare terras Europaeas. Procul dubio haec est opinio iucunda digna cogitatu. Semper putabam et adhuc puto EU esse monstrum quoddam grapheocraticum... **Vale semper VN**

d.04. m.Mart. a.2023 h.10:58

Nicolaus Naevio s.

Pro certo habeo, si *Franciscus-Iosephus* aut *Helmodus* unus aut alter aut *Gerhardus* esset nunc cancellarius, eum maiore cum confidentiâ sui erga Iosephulum somniculosum commoda nationis propriae defensurum fuisse. *Olaus* cum sit propter negotia sua *cumexiana* obscura atque sordida semper concussibilis, nihil est nisi caniculus, qui, quandocumque *Bidenius* sibilans bacillum proicit, caudam vibrans capturus huc illuc cursitat oboedientissimê.... Noster cancellariolus verniliter adulans amicum appellat tromocratem, qui venam vitalem nostram destruendam curaverit. O quanta infamia! - Manifestum est globalistas semper eligere homunculos infirmos et concussibiles ad munera rei publicae altissima gerenda...Iuvat et delectat analyses dilucidas virorum sapientium audire, cum omni die nobis obstrepant verba stultissima a *Bärbocculis* et *Hofreiteris* edita... Varietas delectat. **Vale semper, NIC.**

d.04. m.Mart. a.2023 h.11:31

Naevius Nicolao s.

Etiam Russia nunc parat sua aeroplana - quasi praetoria volantia - , ut timeo. Bene scio talia aeroplana iam multos annos ante inventa et perfecta esse. **Vale, N.**

d.04. m.Mart. a.2023 h.13:32

Naevius Nicolao s.

<https://www.mmnews.de/politik/195081-scholz-besuch-in-washington-gibt-weiter-raetsel-auf>

Scholz` Besuch in Washington gibt weiter Rätsel auf

Solum unam horam parvam locutus estne cum *Iosephulo somniculoso?* Ridiculissime! Certe de gasiductu deleto vehementer disputabant... **Vale, N.**

d.05. m.Mart. a.2023 h.09.16

Naevius Nicolao s.

<https://www.youtube.com/watch?v=xOhdd5cvR90> "IM AUGE DES BRUDERS" MIT SCOTT RITTER: DEUTSCHLAND, EMANZIPIERE DICH!

Bene et recte dixit, sed quomodo nos Germani ipsum id faciamus? Habemusne postestatem politicam, oeconomicam, militarem? Quomodo possumus liberari a momento istorum talparum transatlanticorum? Scisne etiam haec? <https://de.wikipedia.org/wiki/Datei:Kanzlerakte.jpg> **Nescio** an talia acta profecto sint, sed certe est adhuc momentum ingens Americanorum ad politicam Germaniam. **Vale, Naevius.**

d.05. m.Mart. a.2023 h.12:34

Nicolaus Naevio s.

TIMEO NE ILLI RECTÊ SENTIANT, QUI DICUNT PSEUDOPANDEMIÂ EFFECTUM ESSE UT CULTUS CIVILIS HUMANUSQUE SOCIETATIS NOSTRAE RUMPERETUR. NUM ISTA BARBARIA IAM EST TRANSHUMANISMUS??? **Vale, NIC.**

d.05. m.Mart. a.2023 h.12:52

Naevius Nicolao s.

Fortasse. Sed non fallamur, mores iam multos annos ante lapsi sunt. Comitas humanitasque iam diu paulum valent. Exemplum dabo: specta tramina nostra! Multi homines neglentissime relinquunt purgamenta velut pocula cafearia, diurna et multa cetera. Tales commentarii certe etiam invenientur, cum Claudia Roth, KGE, Audretsch et ceteri prasini vel sinistri de vita deceidunt. **Vale, Naev.**

d.07. m.Mart. a.2023 h.15.15

Naevius Nicolao s.

Care amice, in appendice invenies pensum quoddam, quod modo inveni. Utinam placeat et prosit studentibus! Quid sentis? *Sancto Juergen* et eius assetoribus semper placebat creare verba nebulosa quaedam - quae doctissima esse videbantur, sed revera solum trita erant. Carolus ille nobilis modum eorum scribendi - quam dicam artem quandam putidam - optime descriptsit. Illi viri "Scholae Francoforti" bene sciebant multos lectores omne ignotum, omne nebulosum pro magnificio habere. Itaque bene evenit quod sunt pauci viri docti velut Popper clarissime istam pseudophilosophiam persipientes. Fortasse Acerarius inveniet etiam epistulam Caroli ad Habermas et Adorno. Certe iucunda est. Iamne legisti nunnulas paginas libelli illius Esderii "REGIMEN SERMONIS"? Placetne? **Vale semper VN**

d.08. m.Mart. a.2023 h.13:22

Nicolaus Naevio s.

<https://www.fechten-passau.de/klassisches-fechten>

Ecce Sigfridus Passoviensis veteranus artis battuendi, qui praefert battutionem classicam electronicae. Quid tibi tuoque filio videtur? **Vale, NIC.**

d.08. m.Mart. a.2023 h.13:56

Naevius Nicolao s.

Rogabo eum, narrabo tibi. **Vale, N.**

d.08. m.Mart. a.2023 h.00:40

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=lGCR114fNiw>

Quid tibi videtur? Evidem potius puto Hershium recte investigasse. Quis adhuc credit redactoribus ephemeridis TEMPORIS??? *Nuntius citatus: Num Ucrainia gasiductum curavit displodendum?*

Vale, NIC.

d.08. m.Mart. a.2023 h.15:18

Naevius Nicolao s.

Mox, ut spero, res clarior erit. **Vale, N.**

d.08. m.Mart. a.2023 h.17:02

Naevius Nicolao s.

Nunc omnes cogitant de ea re; modo legi haec: "Demnach suchen die USA eine Möglichkeit, ihren Krieg mit Russland zu beenden. Wenn die Ukraine jetzt als Täter des Terroraktes präsentiert werden, so die Überlegung jenseits des großen Teichs, gibt es Gesprächsbedarf zwischen Russland und der Ukraine. Und das könnte vielleicht zu Waffenstillstandsvereinbarungen führen. Die USA hätten dann mehr Zeit, sich mit China zu beschäftigen ..." **Vale, N.**

d.09. m.Mart. a.2023 h.16:45

Nicolaus Naevio s.

...ut credat id quod contendit: nullam esse cohaerentiam inter impetus sicarios et immigrationem. Nam multo pauciores Germani natales sicarii sunt quam immigratores Orientis Propinquae. Germani etiamsi scelerati sunt, non solent cultro uti. Quid tibi videtur? Estne iste praeses Hassiae ministerialis revera tam stultus, tamque alienus a mundo reali? Vivitne in Cucaniâ? Dic mihi, care Naevi, quid sentias de Rheno Hasso praeside ministeriali, qui mense Octobri vult iterum eligi! Recte dicit: "Wir sollten hier nichts wegschweigen! Wir sollten hier nichts wegnuscheln! Denn alles andere wird natürlich ein Konjunkturprogramm für radikale Parteien sein!" - At ipse hoc facit, quod monet ne fiat! - Quid tibi videtur? - **Vale semper, NIC.**

d.09. m.Mart. a.2023 h.17:38

Naevius Nicolao s.

Care amice, hic casus est revera incredibilis - incredibilia etiam sunt verba istius Borisii. Tam caecus nemo esse potest. Hic videre possumus causas veras: <https://www.tagesspiegel.de/politik/hessens-ministerpraesident-boris-rhein-ich-mochte-keinen-fluehlingswahlkampf-fuhren-9466187.html> Se defendere vult ab adversariis duobus; primo, a ista Nancy, aemula potenti in factione sua; secundo ab Alternativis illam politicam immigrationis supermoralem caecamque vituperantibus. Apparet Borisium eo tempore bellum duarum frontium debere gerere; itaque omnibus opibus eius pericula evitare studet - commodi sui, sed certe non salutis populi causa. **Vale semper VN**

d.10. m.Mart. a.2023 h.11:00

Nicolaus Naevio s.

PUTO HANC SYMBOLAM ESSE LECTU DIGNISSIMAM. QUID TIBI VIDETUR?

<https://www.counterpunch.org/2023/03/01/lessons-not-learned-from-the-pentagon-papers/>

Vale, NIC.

d.10. m.Mart. a.2023 h.12.35

Naevius Nicolao s.

Recte, ita est. Pars russata mihi nucleus rei esse videtur, etiam in Germania nostra. Hoc dicam Theodisce "*medial-gouvernementaler Komplex*". Ille Julianus haec omnia bene demonstravit: https://www.youtube.com/watch?v=Il_npvnRiQ0. Sed puto nos adhuc solum summum culmen montis glacialis videre posse. Multi conexus sunt obscuri. **Vale, N.**

d.10. m.Mart. a.2023 h.22:54

Naevius Nicolao s.

https://www.youtube.com/watch?v=TRbnyY00R_0&t=38s Biontechiani subterfugiunt!

Vale, N.

d.11. m.Mart. a.2023 h.00:41

Nicolaus Naevio s.

MIROR QUOD STATIO TELEVISIONIS "PUBLICO-IURIDICAE" NUNC REFERT TAM ACCURATÊ DE HIS CASIBUS (de detrimentis pseudovaccinatione effectis). NONNE TIBI QUOQUE VIDETUR AGGER (UT SENSU TRANSLATO DICAM) QUIDAM DIRUPUTUS ESSE??? NUM LICET SPERARE ISTOS RELATORES AULICOS MENDACISSIMOS ALIQUID DIDICISSE??? QUID TIBI VIDETUR??? **Vale semper, NIC.**

d.11. m.Mart a.2023 h.00:50

Nicolaus Naevio s.

IN TANTA MISERIA RES QUADAMTENUS EX HORRIBILI RIDICULA: MISERA MEDICA MIRATUR, QUOD HAEC DETRIMENTA PSEUDOVACCINATIONIS VIX DISTINGUI POSSINT A MORBO (FICTIONE, adn. mea) "LONGO COVIDIANO". NUM BONA MULIER SANATRIX REVERA TAM SIMPLEX EST, UT ADHUC CREDAT HUNC MORBUM ("Long Covid") EXSTARE??? AN TIMET, NE PUNIATUR, SI APERTÊ DICAT ISTUM MORBUM LONGUM COVIDIANUM MENTE FICTUM ESSE, NE DETRIMENTA PSEUDOVACCINATIONIS INNOTESCERENT??? **VALE SEMPER, NIC.**

d.11. m.Mart. a.2023 h.15:52

Naevius Nicolao s.

Nescio, care amice; nonnumquam etiam relatores isti de rebus talibus narrare debent, quia eo modo demonstare possunt etiam se criticos esse, etiam se audivisse alteram partem. Fortasse etiam sunt nonnulli diurnarii honesti - velut ille *Berbner*: <https://www.youtube.com/watch?v=pZlyoiFiAzs>

Cura ut valeas VN

d.11. m.Mart. a.2023 h.16:24

Naevius Nicolao s.

Novistine disquisitiones quibus nititur ea ipsa coniectura? Adhuc nescio an sint tales disquisitiones; sane eas non quaesivi. Puto - mea opinione imperito - viam disquisitionis sane simplicem esse. Si homines sani, non vaccinati virus coronarium contraxerunt et in eis signa LONGI COVIDIANI observari possunt, saltem possibile est hunc morbum revera exstare. Post morbum meum parvum primum covidianum nonnullas septimanas iterum iterumque fessus eram. Certe, ea lassitudo non erat gravis, ea intermisso spatio temporis praeterit, sed clare fuit subiectum sensibus. Vale semper VN emendatio: clare fuit subiecta. **Vale, VN**

d.13. m.Mart. a.2023 h.09:51

Nicolaus Naevio sal.pl.

<https://reitschuster.de/post/sahra-wagenknecht-zum-abschuss-freigegeben/> Sahra Wagenknecht – zum Abschuss freigegeben Hass und Hetze aus dem GEZ-Biotop

Quid tibi videtur de hôc nuntio et commentario? Nonne ex isto exemplo apparent, quam iniquê atque iniustê in nostrâ societate tractentur *odium et instigatio*? Si "dextri" (i.e. critici gubernationis) tam inhumaniter laedunt adversarios (praesertim politicos), gravissime accusantur et puniuntur, si "sinistri" (adulatores gubernationis, qui absurde atque hypocritice dicuntur "satirici" aut "comoedi") hoc faciunt, summe laudantur et praemiis honorantur. - Est ista inaequalitas ponderum mendacissima, quâ maximê vexamus. Ceterum notiones olim politicae, quae sunt "dextri" et "sinistri", mihi videntur omni vi et sensu tam vehemente orbatae esse aut in contrarium conversae,

ut in memoriam revocentur formulae illae Orwellianae "*bellum est pax et odium est amor eqs*". Nam quando umquam "sinistri" et "prasini" (olim pacis columbi atque militiae recusatores) ore spumante postulaverunt arma et arma et arma et tympanum belli pulsaverunt tam vehementer quam nunc isti qui "sinistros" et "prasinos" se appellant? Mundus inversus esse videtur. **Vale semper, Nic.**

d.13. m.Mart. a.2023 h.10.41

Naevius Nicolao s.

Gratias tibi ago pro nuntiis tuis, studeo respondere tibi serius; mihi eo tempore multa negotia sunt, quae cras et perendie perficienda sunt. Bene scis me putare dicta Bielendorferiana intolerabilia esse; iste homo illa verba turpissima de Sahra facere solum audet, quia scit turbam sinistram, illam catervam sinistram - quae eo tempore de facto (non de iure!) potest statuere quid "bonum", quid "malum" sit, quid "satura quid "odium" sit - talibus dictis applaudere.

Certe assetatores prasinorum dicunt ea esse "*defensionem quandam libertatis et democratiae*" (bene scimus eorum verba trita "*wehrhafte Demokratie*"), sed revera solum sunt signa odii summi discriminationisque summae. Cur istud bacciballum, ista Claudia, ista KGE non exclamat? Cur istae feminae prasiniae non dicunt ea verba esse "*violentiam structuralem*"? Ceterum puto illum Peterson condicionem nostrae gubernationis recte descriptsse. Apparet in ista gubernatione esse politicos imperitos, ineptissimos. Quod attinet ad eam rem - ille *Bolz* a nobis dilectus analysin bonam fecit: <https://www.youtube.com/watch?v=xVTnLdGGKsg> Etiam est diu liber notorius cuiusdam *Edgarii Iulii Jung*: "*Die Herrschaft der Minderwertigen*" - cave auctorem dextrum! - https://de.wikipedia.org/wiki/Die_Herrschaft_der_Minderwertigen. Ni fallor, in eo libro - cum grano salis - ea futura praedixit, in quibus eo tempore vivimus. **Vale semper VN**

d.13. m.Mart. a.2023 h.16:48

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=653x0SpYd48> De ministro sanitatis insanissimo: Incredibile istum homuncionem mente captum nondum electum esse ex munere suo!!! **Vale, NIC.**

d.13. m.Mart. a.2023 h.20.36

Naevius Nicolao s.

"Das war eine Übertreibung, die ich in einem mißglückten tweet gemacht habe!" - ISTE CULUS INGENS! **Vale, N.**

d.13. m.Mart. a.2023 h.21:47

Naevius Nicolao s.

<https://auf1.tv/elsa-auf1/strafanzeige-gegen-zulassungsbehoerde-es-geht-buchstaeblich-um-leben-und-tod>

Speremus! Etiam ZDF interrogavit *Carolum* mente captum modo critico. Modo uxori demonstravi data illius Soenichsen, viri honesti. Ea dixit "*AUF TV! Ja klar! Nicht peer reviewed - ja klar!*". Nihil videre vult. **Vale N.**

d.13. m.Mart. a.2023 h.21:51

Nicolaus Naevio s.

DIU DIFFICILE VEL IMPOSSIBILE FUIT REVISOREM INVENIRE!!! CAUSA EXPLICATUR PROVERBIO Q.E.: ,PASCENTEM SEQUOR'. **Vale, NIC.**

d.13. m.Mart. a.2023 h.22:06

Naevius Nicolao s.

Certe, ea scit omnia haec - eius habitum dicam "*kognitive Ignoranz und Arroganz*". **Vale, N.**

d.15. m.Mart. a.2023 h.14.08

Naevius Nicolao s.

<https://www.youtube.com/watch?v=p3gT-GBVbVo> Russia denies downing Reaper drone; Tells U.S. to halt ‘hostile’ flights after ‘provocation’

Quia ista caterva Americana politica, oeconomica et militaris putat se dominum mundi esse

Vale, N.

d.15. m.Mart. a.2023 h.11:44

<https://www.youtube.com/watch?v=rtcSEYqVSsI> Manfred Lütz stürmt während Sendung aus dem „Viertel nach Acht“-Studio. -

Marco P: „Herr Lütz, diese „absurden“ Impfgegner, von denen Sie sprechen, haben von Anfang an Recht gehabt! Das, was Sie sagen, ist an Absurdität kaum zu überbieten! Ich wünsche Ihnen alles Gute und wünsche, dass Sie nie wieder auf irgendeiner Bildfläche erscheinen!“ -

Nicolaus Naevio s.

Bene est, quod aufugit iste hypocrita!!! Eo modo confitetur sibi argumenta deesse!!! Qui adversarii vaccinationis quid falsi dixerunt??? Hoc Lützius non explicat!!! **Duo viri docti atque sinceri** (SUCHARIT BHAKDI et WOLFGANGUS WODARG) iam post paucos menses a.2020 graviter monuerunt pandemiam non esse veram, mascas et quarantaenam esse nocivas; postea gravissimē et rectissimē monuerunt, ne fierent pseudovaccinationes periculosissimae!!! *Bhakdi* et *Wodarg* directē se converterunt ad gubernationem: Recordare *Bhakdium* in interreti allocutionem habuisse ad *Angelam Merkel!* Neuter accepit responsionem, neuter est auditus a gubernatione, neutrius verba rectē citata sunt in mediis fluminis praecipui: e contrario uterque vir doctus et sincerus diffamabatur sordidissimē; *Bhakdio* adhuc imminet causa iudicialis, accusatur antisemitismi (quod absurdissimum est). Uterque vir omni laude, ipsā magnā foederali cruce meritorīa taeniae affixa est dignissimus; sunt - meā quidem sententiā - **HEROES GERMANIAE** - pro certo habeo utrumque suasionibus suis prudentissimis multorum Germanorum vitam et valetudinem servasse. Tamen adhuc et *Wodarg* et *Bhakdi* in talibus disputationibus ne nomine quidem commemoratur. QUANTA INFAMIA TOTIUS NATIONIS GERMANICAE!!! PUDEAT TE, O GERMANIA!!! **Vale, NIC.**

d.15. m.Mart. a.2023 h.16:51

Naevius Nicolao s.

Iste *Luetzius* fugitivus adhuc defendit *Carolum* mente captum et mendacissimum a diurnariis?! Haec non credere possum... *Carolus* est culus maximus, iste *Luetzius* est magnus. **Vale, N.**

d.19. m.Mart. a.2023 h.15:23

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=fUEo4BI8E1c> PUTINS KRIEG: Mariupol - Symbol einer Unterwerfungs- und Zerstörungsoffensive gegen Ukraine -

En istum hypocritam!!! Quid de bellis Americanorum??? Quid isti fecerunt de Coreā - Vietnamiā - Cambodiā - Afghanistaniā - Serbiā - Iraciā - Libyā etc. etc.??? Sine morā, sine ullo respectu hominum civilium bombas deiecerunt!!! Quis Americanis umquam imposuit sanctiones??? Russi primā in phasi belli Ucrainiani civilibus multo magis pepercerunt. Imprimis infrastructuram destruxerunt. **Vale, NLL**

d.19. m.Mart. a.2023 h.19:56

Naevius Nicolao s.

Recte, de flagitiis multis Americanis vix narratur; cum tamen quis audet indicare ea, media nostra et diurnarii nostri optimae qualitatis - velut iste Lanzius - hoc solent dicere "whataboutism". **Vale, N.**

d.17. m.Mart. a.2023 h.22:44

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, studeo respondere tibi cras; audi illum iurisconsultum, narrat der fronte iudiciaria. 3:49:44 https://odysee.com/@Klardenkenty:6/pk_20230315:0 **Vale bene VN**

d.19. m.Mart. a.2023 h.09:21

Naevius Nicolao s.

Licetne verbum *procuratoris* adhibere ad "*Staatsanwalt*" Latine reddendum? In sermone Russico adhibetur ipsum hoc verbum! прокурор Am 19.03.2023 um 08:45: Primo: Legislatori Germano non licet instituere iudicia exceptionis ("Ausnahmegerichte"); legas hanc partem constitutionis nostrae: <https://dejure.org/gesetze/GG/101.html> Secundo: Sane possibile est instituere iudicium speciale ("Gericht für besondere Aufgabengebiete") Sed puto non neccessarium esse condere tale "iudicium speciale coronarium". Si procuratori iudicesque nostri scelus ingens perspiciunt et non iam recusant facta clare videre, spes nova erit. Sed eo tempore multi homines "vaccinati" de ea re non audire volunt; quamobrem observare possumus repressionem Freudianam: multi illa signa et facta flagitii coronarii intolerabilia non videre volunt. Audias haec! Si omnia recta sunt, etsi solum dimidium dictorum rectum est - ad omnes casus horrēscet:

[https://soundcloud.com/radiomuenchen/die-pfizerfda-files-16-kritische-ergebnisse?](https://soundcloud.com/radiomuenchen/die-pfizerfda-files-16-kritische-ergebnisse?utm_source=www.radiomuenchen.net&utm_campaign=wtshare&utm_medium=widget&utm_content=https%253A%252F%252Fsoundcloud.com%252Fradiomuenchen%252Fdie-pfizerfda-files-16-kritische-ergebnisse)
[https://soundcloud.com/radiomuenchen/die-pfizerfda-files-16-kritische-ergebnisse](https://soundcloud.com/radiomuenchen/die-pfizerfda-files-16-kritische-ergebnisse?utm_source=www.radiomuenchen.net&utm_campaign=wtshare&utm_medium=widget&utm_content=https%253A%252F%252Fsoundcloud.com%252Fradiomuenchen%252Fdie-pfizerfda-files-16-kritische-ergebnisse) Vale semper VN

d.19. m.Mart. a.2023 h.21:29

Nicolaus Naevio s.

En invēni nonnullas versiones verbi theodisci, q.e. "*Staatsanwalt*": *Staatsanwalt*, procurator publicus, actor publicus, actor publicus (*als Ankläger*). – cognitor civitatis (*der in Sachen des Staates auftretende Prozeßführer*). – patrōnus causae publicē constitutus (*bei einem Prozeß vom Staate bestimmter Verteidiger*). Vale semper, NIC.

d.20. m.Mart. a.2023 h.07.58

Naevius Nicolao s. Gratias tibi ago! Vale, N.

d.20. m.Mart. a.2023 h.00:59

Nicolaus Naevio s.

https://www.youtube.com/watch?v=vYQV_NdWOrO

GERT SCOBEL: PSEUDO-SCIENTIFICE BLATERAT FALLIT MENTITUR ET CEREBRA LAVAT ISTE CULUS CONCACATISSIMUS DIFFAMAVIT DEFENSORES LIBERTATIS NOSTRAE !!! TALES HYPOCRITAE FURCIFERI REVERA POST PSEUDOPANDEMIAM SUNT INTERROGANDI INQUISITIONE SEVERISSIMÂ!!! Vale, NIC.

d.20. m.Mart. a.2023 h.07:58

Naevius Nicolao s.

Certe, dicta istius Scobel spectantia ad demonstrationes non placent, sed secundum libertatem librariam constitutione nostra praebitam ei licet dicere. Bene intellego te irasci, sed iste diurnarius nimis obsequens solum parvi momenti est et fuit. Audivistine iam "Pfizer-Gates"? <https://soundcloud.com/radiomuenchen/die-pfizerfda-files-16-kritische-ergebnisse> Si conclusiones spectantes ad FDA-documenta Pfizeriana rectae veraeque sunt, Albertus Graeculus et caterva sua flagitium ingens commiserunt. Prae flagitio illo verba istius Scobel solum momentum parvum habent. Vale, N.

d.24. m.Mart. a.2023 h.10:28

Nicolaus Naevio s.

https://www.epochtimes.de/politik/deutschland/gerichtsurteil-corona-zwangstestungen-in-der-schule-rechtswidrig-2-a4203111.html?utm_source=mail&utm_medium=mail&utm_campaign=NL_20230323

QUID TIBI VIDETUR? Vale, NIC.

d.24. m.Mart. a.2023 h.16:33

Naevius Nicolao s.

Illud iudicium rectum et bonum esse videtur. Legere debo entymema iuridicum ("Entscheidungsbegründung"), deinde plus de ea re, de ea causa dicere possum. Adhuc illud iudicium in collectione datorum iuridicorum velut "Juris" non inveni; certe, novissimum est.

Vale semper VN

d.24. m.Mart. a.2023 h.17:36

Nicolaus Naevio s.

Semper semper obstupefio legens ea quae ante nonnullos menses adhuc officialiter dicebantur esse sacrosancta nunc nonnullis verbis facillimē videntur sublata esse et irrita facta esse. Horrens memini quam vehementer molestati sint discipuli et magistri istis absurdis et inutilissimis mascis et disinfectionibus alcoholicis et probatiunculis coronariis necnon inectionibus fatalibus, quantum temporis et pecuniae dilapidatum sit istis rebus insanissimis. At timeo, ne etiam post officiale abolitionem et sublationem permulti pergent credere in efficaciam et mascarum et probatiuncularum et pseudovaccinationum usque ad finem dierum suorum. Et Holmianâ illâ syndromâ obsessi gratias agere non desinent vexatoribus sui credentes se ab iisdem non vexatos esse, sed servatos. Ferê totum genus humanum istâ ingenti fraude coronariâ factum est psychopathicum. **Vale, NIC.**

d.24. m.Mart. a.2023 h.19:16

Naevius Nicolao s.

Rectissime oberservas eas res horribiles, rectissime describis eas. Indicans eas et contradictiones nunc notabiles domi semper vituperor, semper admoneor ut taceam. Uxor filiusque nihil cognoscere volunt, nihil. Adhuc uxor credere videtur pseudovaccinationem bonam esse. Nihil de Carolo mente capto, nihil de Arminio hypocrita: <https://www.youtube.com/watch?v=c8hpUhMzIxU>. **Nunc** iste Laschet blaterat de "Kommunikationskultur". **Vale, N.**

d.24. m.Mart. a.2023 h.20:50

NICOLAUS NAEVIO S.

Iamne disti cinema *Gunteri Frank* medici coronaे critici? Aliquatenus videtur investigatio pseudopandemiae criminalis procedere, sed iterum iterumque sunt, qui velint omnia occultare et oblivisci. Alteram rem tibi propono certē minus dolorosam: agitur de arte abstractā. Mitto tibi symbolam glossarii mei modo scriptam. Quid tibi videtur de arte abstractā deque *Picassone*? Assentirisne *Thomae Wolfe* an dissentis ab eo? Verba tua libenter inseram glossario meo. **Vale semper, NIC.**

ars abstracta

530

abstrakte Kunst – abstract art – art abstrait – arte abstracto – arte astratta

Ars *abstracta* dicitur id genus artis figurativa, quod plus minusve absolutum et remotum est a naturā rebusque realibus. Figmenta istius artis quid valeant et quid sibi velint saepe aut difficillimē aut omnino non intellegitur. Sed raro sunt spectatores tam sinceri ut confiteantur se non intellegere, qualis idea et sensus subsit artificio abstracto; nam quis vult dici barbarus et banaeus parum eruditus et artis subtilissimae ignorantissimus? At nemo est, quin facile intellegat istud genus artis figurativa aenigmaticum exortum esse arte photographiae technicā naturam rerum etiam etiamque subtilius et exactius et fidelius et perfectius reddente et illustrante. Concreta quia apparatu technico potuerunt exhiberi, artifices se converterunt ad exhibenda abstracta! Quod attinet ad indolem et facultates *Pauli Picassonis Hispani* unius ex artis abstractae pictoribus illustrissimis et celebratissimis, *Thomas Wolfe*, Americanus diurnarius et auctor fabularum romanicarum necnon artis figurativa architecturaeque criticus (1930-2018), sibi non temperavit, quin iudicium ferret audax severumque: Picassonem nullā aliā causā ab arte concretā ad abstractam se convertisse, nisi quia ineptior atque inhabilior fuisset, quam ut concreta pingens rectē observaret proportiones *perspectivas*. En istum calumniatorem modernae artis elegantissimae... Thomam istum incredulissimum... nefas esto!

d.25. m.Mart. a.2023 h.14:30

Naevius Nicolao suo sal. pl. dicit,

gratias magnas tibi ago; eo tempore cum filio nonnumquam pigro Latine discere deboeo. Adhuc vidi solum nonnullas partes illius cinematatis. Ille vir honestus fortisque loquitur etiam cum *Iulia Neigel*. Eam novi iam diu; olim cantabat carmen "*Schatten an der Wand*". De *Picassone* et de eius operibus vix scio; cur surrealismum et cubismum praetulerit, nescio; itaque nec assentiri illi *Wolfe* nec dissentire ab eo possum. E.g. illa pictura "*Guernica*" toto orbe terrarum nota est; semper magnopere laudatur; tamen modus pingendi mihi non placet; dicam illum modum "*distorquentem*". Quid prodest? Certe: eo modo horror belli optime demonstratur. Terrorem aeroplanis Germanis notoriae legionis "*Condor*" civibus illius urbis allatam spectator quicumque animadvertere potest. Sed quid illud genus pingendi in rationibus aliis artis prodest? Praefero genus pingendi naturalisticum - quamobrem diligo picturam Batavam; amo etiam illum *Klimt*, artificem ingeniosum aetatis "*art nouveau*".

Spectes hanc picturam illius *Matthias Stom*: <https://c8.alamy.com/compde/txghc0/gemalde-mit-dem-titel-eine-alte-frau-und-ein-junge-bei-kerzenschein-von-matthias-stom-1600-1652-hollandisches-goldenes-alter-maler-vom-17-jahrhundert-txghc0.jpg> Etiam spectes illam picturam *Klimt*: <https://www.artgalerie.de/wandbilder-motiv/menschen/frau/gustav-klimt-dame-mit-hut-und-federboa/a-1143629> Summo ingenio pinxit ille Austriacus feminam quandam rufam cutis subtilissimae; pinxit etiam eius supercilia summae dulcedinis, elegantissime figurata. Etiam amo modum quo pinxit lucem nocturnam coloresque noctis. Quid sentis? Tune amas *Picassonem*? Placetne *Klimt*? Vale semper VN --- Quanta articia! Summa arte ille *Stom* pinxit partes lucis et umbrae; summa ingenia. Vale bene VN

d.02. m.Apr. a.2023 h.13:32

Nicolaus Naevio suo sal.pl.dic.

Care Naevi, libellos *Tumultuarios* a te donatos pro cimeliis bibliothecae meae habens magnâ cum voluptate pervolvo. Admiror, quantâ cum subtilitate *Michael Esders* discerpat figura verborum a glottocratis excogitata. Necnon quaero, a quâ universitate hodiernâ tales cogitatores sinceri et analytico acumine praediti (qualis est etiam *Egon Flaig* et subtilissimus ille *Kleine-Hartlage!*) tolerentur? Animo non fingere possum eos in quâvis universitate germanicâ cursum honorum posse facere. Quid tibi videtur? --- Iamne audivisti emissionem "*Kontrafunk*" novissimam? Semper eam libenter audio. De *Norberto Bolz* iam ex longo tempore consentimus - est sagax et eloquens. Tamen mihi displicet, quod dicit *Factionem Alternativorum* esse nullius spei; eam nihil esse nisi factionem reclamandi et recusandi et in eâdem esse nimis multos homines obscuros, quibuscum se nolle spectari in publico. Ad quales politicos Alternativos his verbis *Bolzius* alludat, omnino non video. Scilicet ad *Höckeum*. Si sic sentit, eius orationes vix novit. Insunt eius orationibus interdum fortasse nonnulla desideria nostalgica, quae non iam possunt adduci ad effectum. Sunt romantica, sed non nacistica! --- Nam sunt eius dicta et facta meliora quam ullius politici factionum "*systematis*". Et ad quos alios alludit *Bolzius*? Ad *Weideliam*? Scilicet eam esse excellentissimam quoad scientiam et elocutionem. Ad *Chrupallam*? Certê est vir modestioris mentis, sed frugalis et sincerus. Ad *Ciconiam*? Optimê loquitur, multa scit. Ad *Brandnerum*? Certê polemicê loquitur, est patronus, sed necessarium est oppositionem gubernationem aggredi. Necnon *Brandner* maiore capacitate mentis est quam omnis politicus prasinus. Ad *deJongen*? Qui est philosophus, qui optimê scit dicere de cultu civili! Quis audet cum eodem *Claudiam Roth* umquam comparare? - Quid de *Braun*? Qui optimê loquitur et peritê et eleganter. - Ad *Kotré*? Ad *Kleinwächter*? In omnibus disciplinis apud Alternativos meliores et peritiores et eloquentiores politici inveniuntur quam apud factiones vetustas. Hac de causâ vituperationem Bolzianam omnino non intellego, nisi suspicor eundem timere, ne laudans Alternativos officialiter declaretur esse nacista. Estne ita? Estne etiam *Norbertus Bolz* ignavior, quam ut sincerê loquatur??? **Vale semper, NIC.**

d.02. m.Apr. a.2023 h.20:53

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, tibi assentior. Etiam dubito, quin viri feminaeque mores (prasinos) temporis nostri clare perspicientes et summo acumine eius elementa discernentes cursum honorum in universitatibus nostris facere possint. Quod attinet ad iurisconsultos doctos, pudet me dicere paene omnes professores iuris publici facultatum Germanarum nihil dixisse, adhuc nihil dicere de politica coronaria. Solum nonnulli emeriti - velut ille *Papier* et ille *Murswieck* - ausi sunt vituperare cursum gubernationes et statuere istas restrictiones nobis impositas modum longe transisse. - Nondum audivi "*Kontrafunk*". Sed audeo dicere illum *Bolz* nimis vituperare Alternativos. Certe, factio sola Alternativorum rem publicam non servare potest. Adhuc nescimus quomodo Alternativi politicam meliorem facerent, si cum aliis factionibus rem publicam gubernarent. Sed Alternativi revera habent viros summae eloquentiae: Ad enumerationem tuam adipisci volo illum *Curionem*, oratorem sagacissimum, cuius orationes sonant quasi modi musici. Etiam placet ille *Rogerius Beckamp*, iurisconsultus et orator optimus. Loquens in publico cum hominibus vel orationem habens semper animum attendit ad moderationem. Sententia eius similis sententiae illius *Claudio Acquavivae* esse videtur: fortiter in re, suaviter in modo. - Speremus! - Iamne legisti de lege nova (de calefactoriis)? Horribile: <https://www.tichyseinblick.de/tichys-einblick/oel-gasheizung-80-jaehrige-gruene-ampel/Medullitus te salutat VN>

**EPISTULAS COLLECTAS
EDIDIT
LEO LATINUS**



SAHRA WAGENKNECHT – ALICE SCHWARZER

(*1969)

(*1942)

**ECCE TRES VENERES
FORTISSIMAE ET PRUDENTISSIMAE
ET ERUDITISSIMAE**



EVA VLAARDINGERBROEK

(*1996)

**NEQUE FURORE
GENDERISMI NEQUE APOCALYPSIS CLIMATICAE
NEQUE POLITICAE RECTITUDINIS
NEQUE ANTISEXISMI NEQUE ANTIPHYLETISMI
NEQUE VIGILANTISMI (*wokeness*) OBSESSAE**

**SED
CARITATI ET LIBERTATI ET IUSTITIAE
STUDIOSISSIMAE**

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA ΕΙΣ ΑΕΙ.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA— Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90


27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM SECUNDAM



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE

PERFECIT

Die Lunae, 03. m.Apr. a.MMXII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**